

Gymnasium und Realschule I. Ordnung

zu

Bielefeld.

Jahres-Bericht,

womit

zu der öffentlichen Prüfung am 20. und 21. März

ergebenst einladet

Dr. O. Nißsch,


Director und Professor.

Inhalt: 1) Alfredi Eberhard lectionum Tullianarum libellus primus ad Nicolaum Anziani Florentinum.
2) Schulnachrichten. Vom Director.

Bielefeld, 1872.

Druck von Velhagen & Klasing.

BIEL (1872)



ALFREDI EBERHARD

LECTIONUM TULLIANARUM LIBELLUS PRIMUS AD NICOLAUM ANZIANI FLORENTINUM.

Postquam Petrus Victorius Paullus Manutius Dionysius Lambinus paucorum annorum spatio se excipientes Ciceronis orationibus et uitiosa emendando et difficilia interpretando egregiam operam nauauerunt, nescio an nemo duobus quae insecuta sunt saeculis exstiterit qui cum illis comparari possit praeter unum Jo. Aug. Ernestium. nam ne Graeuius quidem, homo et ingenio et doctrina satis pollens librisque manu scriptis instructus, propter festinationem quandam tantum praestitit quantum poterat; Lagomarsinio autem quod moliebatur opus ingentis diligentiae atque laboris perficere non licuit. atque de Lambino quidem, quamquam nemo ignorat quae eius animi imago in Lachmanni Lucretio expressa et polita sit, tamen quod iudicium tulerit Ernestius cognoscere non inicundum erit. hic autem praetermisit ipse postea quae in opusculis philologis criticis, unde editionis maioris ea pars petita est, scripserat: „sed Lambinus nimis in tanto opere festinavit, nec semper bonam fidem in laudandis auctoribus, unde profecerat, praestitit“. mouerant nimirum hominem integerrimum animique candore uenerabilem cum Lambini mobilitas ingenii atque paene dixi leuitas, tum de dubia eius fide ex eis quas cum Mureto Gifanio aliis exercuit simultates concepta opinio, firmata illa quidem eo quod sine dubio quae coniectura siue ipse siue alii indagauerant in codicibus se repperisse testatus est. at Gifanium potius multa ex Lambiniana eruditionis opibus in suum usum fraudulenter conuertisse, qua de re Lachmannus dubitauerat, Munro Anglus manifesto demonstrauit: neque sane magis est quod Muretus, homo ambitious et ob uariam fortunam ad inuidiam nimis pronus, nobis fidem faciat Lambinum tam sterilis ingenii fuisse ut emendatiunculas (sit uenia uerbo) paucas illi subripuerit; nouimus fabulam. multa quidem et diffuse P. Lazer in utramque partem disputat. sed utut id est, accidit, ut in Lambino et Ernestio ut plurima dissimilia ita nonnulla eaque grauia sint simillima: par erat uariae doctrinae copia, par sermonis elegantia, non par fortasse sed similis in corrigendo celeritas¹⁾, idem iudicium acre atque incorruptum, recti sanique sensu quodam nativo innixum: qui quo rarior esse solet, eo magis dignus est quem admiremur.

Ernestii uestigia prementes cum multi alii siue omnes orationes siue singulas pertractauerunt, tum Orelli, homo multiplicis et elegantis eruditionis sed criticae arti factitandae si quis alias

¹⁾ „Facile intellegitur unum fuisse post renatas litteras Ernestum qui perfectam absolutamque suis numeris editionem Ciceronis efficere potuisset, si quantum ad hanc prouinciam attulit facultatis doctrinae ingenii, tantum in ea conlocare uoluisset temporis curae atque diligentiae. quae enim uirtutes inesse debent in critico Ciceroniano, eximias in eo exstare uidimus“. Wyttbach uerba sunt.

impar. nec tamen uel ille laude sua priuandus: mirifice enim homines incitauit ut studia sua in Cicerone conlocarent eosque et scholiis denuo editis et indicibus, utilissima supellectile, adiuuit. sed quibus uirtutibus minus erat instructus, aciem mentis dico et artis constantiam, eis insignis erat qui primus homines doctos docuit qua uia et ratione Ciceronis libri essent emendandi, Jo. Nic. Madvig. neque profecto ego is sum qui tanti viri tantas laudes vel minima re augere me posse opiner: sed cum nuper etiam homo quidam latinis litteris pereruditus et ab omni iudicio inconsiderato scilicet abhorrens de ianib' hariolationibus Liuianis' — quo libro duce plurimi nostratium uellem hariolari disserent — locutus sit, cauendum uidebatur ne quis me quoque summo uiro, qui nil molitur inepta, ob caliginem quandam, mentisne dicam an animi incertus sum, obloqui arbitraretur. nam fieri non potuit quin non solum in multis rebus singulis sed etiam in orationibus Catilinariis librorum recte aestimatorum ope recensendis ab eo dissentirem. spero autem fore ut ab ipso uiro ueritatis quam sui amantiore ueniam impetrem²⁾. sed de his rebus postea uidebimus: iam ad id quod libentius facimus redimus ut tandem aliquando is uir memoretur, cuius tanta de Ciceronis libris merita sunt quanta nullius ceterorum. Carolus enim Halm, in uerbis Ciceronis constituendis a Baitero aliisque adiutus, ab aliis impeditus, non tantum quidquid a prioribus passim obseruatum erat, sedulo peruestigauit conlegit digessit auxit, sed etiam quamquam J. N. Madvig munierat ingressus, codicibus accurate conlatas atque prudenter aestimatis, firma criticae artis fundamenta iecit, quibus innixus permultos locos siue ex libris manu scriptis siue de conjectura restituit, plurimos qui obscuri erant primus explicuit. quos uiros secuti multi homines docti alii alia uolnra sanauerunt, alia inflixerunt: sed nomina cum Kaiser et Baiter in praefationibus diligenter enumerauerint, hic congerere nihil attinet. e quo numero Fr. Richter ut interpretis munere ita functus est ut omni laude dignus sit, ita minus feliciter in arte critica exercenda uidetur uersatus esse. reliquum est ut referam patrem meum Ernestum Fride-ricum Eberhard, qui qualis uir fuerit iudicium penes alios esto, cum ab ineunte aetate adsidue Ciceronem legisset, quamquam — quoad scio — nunquam quidquam in publicum edidit, tamen locis aegris medicam manum admouere non destitisse. quo factum est ut cum abhinc unum fere annum editiones quibus uti solebat primum perlustrarem, maiorem et meliorem illarum emendationum

²⁾ Casu quodam euenit ut Madvig in Aduersariorum criticorum volumine priore nonnullos Valerii Maximi locos tractaret, quibus emendandis ego quoque ante aliquot annos operam dederam. neque poenitet eorum quae tum proposui, rectius dixerim, abscondidi. uelut quibus emendationibus p. 20. 113. III 7 E, 6 (bellica artifacia pro bellicis sacrificiis: sic etiam Gelbcke meus); 2 E., 5 sanauit, eas et ipse protuleram. sed nideamus locum ipsum: e corpore deinde suo hastam educi iussit eoque uolnre expirauit. quid (Foertsch: quo B quod dett.), si eum di immortales uictoriis suis perfrui passi essent, et (et add. Foertsch) sospes patriae moenia intrasset. scripsimus eoque uoltu expirauit, quo, si... essent,... sed restare mendum in u. patriae uu. et moenia et perfrui et intrare, non redire, uerisimile reddunt: itaque corrigendum duco sospes Spartae moenia intrasset. Spartae autem moenia in hoc scriptore non esse cur quem offendit iam Gelbcke monuit. p. 37 I, 1 E. 2 factum Massinissae animo quidem Punico sanguini conueniens Madvig non adiecit (a. q. P., s. non c.) sed cum illa res ob id ipsum adferatur ut inde Massinissae animus cognoscatur, languide, ne dicam subabsurde, secum ipso, non cum altero comparatur. magis etiam offendit illud quidem, quod Valerius sic nunquam adhibuit. neque sigla illa — codicem ipsum inspexi — aliud significat atque quod: restitutum autem est manu prima quam. scribendum igitur suspicatus sum factum Massinissae Romano quam Punico sanguini conuenientius (compar. meae em. ignarus Halmius quoque requiri perspexerat). nomina autem in narrationibus extremis Valerius solet repete: uide modo III 1, 1. 2 bis; 1 E, 1; 2, 1. 4. 6. 9 (ubi dubito an non iure nomen deletum sit). 12. 20; 2 E, 1. 6. q. s. IX 12 E, 8 (Anacreontem passae uuae) unius grani pertinacior in aridis fauibus umor absumpsit, Madvig restitui iussit mora, mihi uideatur praestare tumor. ceterum in subscriptione codicis Bernensis legitur rusticus h. d. et paulo post titi probi finit epitoma: in Halmii editione paeclarata p. 487 u. probi excidit. — Valerio Maximo autem dignus est, non Cicerone, qui in splendida expositione Verr. IV 71 concludenda adsutus est pannus, quod priuati ... non passus est: et languide, languidior factus oppositione inepta, quae praecedunt abrumptit, et parum apte subiungitur hoc nefario scelere. a Cicerone abiudicauit pater meus.

partem ab aliis iam prolatam esse nec sine dolore nec sine gadio cognorim. consensum autem si bis terue notauero, spero fore ut illis hominibus doctis non iniucundum sit, mihi filio facile ignoscatur. supersunt autem quae et uerae uideantur suspicione et ab aliis non fuerint excogitatae. uelut cum de or. lib. I, 7 ,excellentiam' non ,scientiam', 53 ,quare nisi' non ,quae nisi' scribendum esse iam a. 1830 in margine adnotauisset, Kaiser triginta annis post praeripuit. atque in hac quidem coniectura utrumque praeiit Passeratius adsentiente Lambino. 130 ,hanc similitudinem [huius histrionis]¹⁾ in uu. huius h. delendis, 187 in restituendo ,aut diffusa' itemque multis aliis locis cum Bakio consensit; 198 prorsus ut ille constituit ,ut [in] respondendo iure plus etiam [auctoritate] quam ipso ingenio ualerent', simul autem pro uu. ,auctore dignitatem' scribendum dicit ,auctoritatem', quod emendandi causa ascriptum in uersum sequentem inrepserit. 217 ,ut quisque ... is perficiet', non, ,quisque ut ... perficiet', 242 ,defendisti, non arripiuisti', 248 ,quas in iure positas defendem's. ,defenderim'. egregias autem Madvigi emendationes 193, Aeliana studia' pro alienis et 202 ,inuenisse deus' reponentis et ipse, postquam aliis quibusdam suspicionibus locos tentauerat (ut 202 ,princeps deus', ,ipse deus putabatur'), reppererat. paulo post pro u. ,contemplatur' restituendum censebat ,amplexatur'. quae coniectura non magis, ni fallor, est occupata quam hae: I, 32 ,tenere semper arma, quibus [uel] tectus ipse [esse] possis uel prouocare improbos uel te ulcisci lacessitus'; 101 ,nempe' pro u. ,namque' uel ,nam'; 155 ,eoque sum usus adolescens 'ut summorum oratorum Graecas orationes explicarem, [quibus lectis hoc assequebar,] ut cum ea quae legeram Graece Latine redderem non solum optimis uerbis uter sed etiam exprimerem quaedam uerba imitando q. s.²⁾ (ceterum ut Cicero Graecas, non Graecorum, id quod pater meus et Bake maluerunt, scriberet, syllabis ... orum ter repetitis uidetur adductus esse. cf. Ellendt. ad Brut. 77); 163, infersit' pro u., refersit'(orationi?) s., confersit'; 213, ciuilem scientiam' pro u., aliquam scientiam'; 217, eademque ratione dicantur ei (libri et), quos Φυσιονομία Graeci nominant'. (Bake ii: adsecutus sententiam ἐνάργεως sustulit); 219 ,quoque' mutauit in ,eorumque': Bake delebat; 230 ,quisquam' pro dat. ,cuiquam'; 232 pro u. ,cum' utique scribendum censem ,antequam', id quod Bake quoque perspexit; mauolt tamen totum locum ita refingere ,haec antequam iudicibus daretur (sc. aestimatio), interrogabatur reus quam commeruisse se maxime confiteretur'. 244 extr. ,Et in hoc genere' (ut Bake³⁾), 245 ,at credo'; 247 ,si modo tradi ... posset'; 254 ,accesserit'; 255 ,imprimis' pro u. ,primus' et paulo post ,lentius'; 261 m. ,quin etiam'. atque haec puto ad tempus sufficient: cetera, quae quidem probabilia sunt — difficile sane in talibus rebus est iudicium — una cum eis quae ipse ad emendandum conferre mihi posse uideor tum proferam cum totum Ciceronem, potissimum libros rhetoricos et epistulas, in quibus pater praecipue elaborauit, accuratius quam hucusque licuit pertractauero. interim de trium orationum locis nonnullis pauca quaedam disputabo. qua in re id potissimum agam ut et aliquot emendationes ueteres iniuria spretas esse et haud paucos locos cum emendatione tum explicatione adhuc egere ostendam. codices Italos, si id scire legentium interest, sat multos euolui, sed orationibus Catilinariis exceptis nullo fructu.

In oratione pro Archia poëta extrema haec leguntur. quae de causa pro mea consuetudine breuiter simpliciter dixi, ea confido probata esse omnibus: quae a forensi (sic Lambin.) aliena (sic Garatoni) iudicialique consuetudine (sic Halm: cf. 2, 3) et de hominis ingenio et communiter de ipsius studio locutus sum, ea, iudices, a

¹⁾ I 133 ,sed, si placet, sermonem alio transferamus, et nostro more aliquando, non rhetorico, loquamur' scribendum esse suspicor ,non rhetorum, colloquamur'. neque enim adi. rhetorius hoc sensu ferri potest ut sit ,quasi rhetores simus' neque loquendi uerbum, cum de pluribus sermonem esse ostendat u. transferamus, aptum est; cf. Bakium. §. 109 deleuerim, ea': ,sin autem [ea] quae obseruata sunt ..., haec ... distributa sunt'. §. 122 utique ineptum illud, et colloqui' eiciendum, quod ad explicandum u. significandi ascriptum puto; longius progressus est Bake, homo in paucis acutissimis; eadem de causa 49, 212 ,omnium rerum diuinarum atque humanarum uim naturam causasque nosse' nescio an expungendum sit potius u. ,naturam' quam ut et ex Bakii coniectura addatur.

uobis spero esse in bonam partem accepta, ab eo qui iudicium exercet certo scio. Cicero in peroratione inde a §. 31 nil nisi repetit breuiter atque conligit quibus argumentis Archiam defenderit. distribuerat autem orationem in duas partes, quarum altera (usque ad §. 11) ageret de causa, altera (inde a § 12) esset ut aiunt extra causam: id quod ipse indicauerat §. 3. in parte igitur priore de Archia ipso, in altera de laudibus artis poëticae atque litterarum disputauerat. locutus est ergo de hominis ingenio et communiter de studio non ipsius, sed de studio litterarum ipso. cum antecesserit gen. hominis qui ad utrumque membrum pertineret, ipsius inepite adiectum esset. quae fuerit sententia perspexit Manutii acumen u. communiter ,de ipso poëticae studio' interpretatus, uitium ipsum non animaduertit.

Eiusdem orationis §. 5 statim Luculli, cum praetextatus etiamtum Archias esset, eum domum suam receperunt. sed etiam hoc non solum ingenii ac litterarum, uerum etiam naturae atque uirtutis, ut domus quae huius adulescentiae prima patuit (sic Madvig, patuerit Reiz: fuit libri), eadem esset familiarissima senectuti. pro u. sed etiam scriendum uidetur et erat.

§. 9 his igitur tabulis nullam litoram in nomine (sic pars codd. dett.) A. Licinii uidetis. Halm pr. in excidisse intellexit; quam ipse ante his suppleuit, ego post igitur: librarius enim cum his pro datiuo haberet praetermisit. §. 11 eis temporibus quem (sic Oxon. C, quae Gembl. Erf.) tu criminaris ne ipsius quidem iudicio in ciuium Romanorum iure esse uersatum, et testamentum saepe fecit... et q. s. pro u. quem ex Ascensii conjectura Kaiser scripsit quibus: quo facto inter iure et esse pr. eum omitti uix potuit. quare facilius uidetur seruato acc. quem post u. uersatum addere is: ita etiam hominem eundem fuisse magis extollitur quam tempora. §. 13 ,haec quoque crescit oratio et facultas, quae quantacunque in me est, numquam amicorum periculis defuit' ,quantacunque' mutare in ,quantula- cunque' ut in promtu ita non necessarium est: cf. Ellendt. ad Cic. de or. II 28, 122 p. 228. cl. I 25, 117. Liu. 27, 31, 3; meminerisque uelim crebro ,tantum dicere' esse ,nihil amplius dicere', u. ,quantus' i. q. ,quam parvus' (Boot. Cic. ep. Att. III 9, 2 p. 133), ,quam' i. q. ,paullum' (Halm. ad Sull. 33 p. 90 ed. 1.). quo ex usu manauit quod Liuius u. quantuscunque ita usurpauit ut uix quicquam differat a pronomine indefinito: uelut cum dicit ,illuc et ducem Karthaginiensium esse et quantumcunque Punicum praesidium' (Madvig Em. Liu. 326); obiter rem tetigit Kühnast p. 196 extr.

§. 15 ,sed tamen est certum quid respondeam' ut Verr. V, 53 ,qui publicos agros arant certum est quid e lege censoria debeant' (es steht fest, was sie geben müssen') significat ,es steht bei mir fest (Rosc. Am. 31. 83. al.) ,was ich zu antworten habe'. formulae illi subiungitur aut inf. aut interrogatio. recte quidem dicitur ,est quod respondeam', liceat dicere ,est certi aliquid': ,est certum quod respondeam' neque Latinum esse credo neque quae insit in u. certum sententia exputo. Baiter uero, cum ,est certe quod respondeam' scripsit, sermonis Latini consuetudinem non neglexit, sententiam infregit. nam Cicero diceret probare se illud uix ac ne uix quidem posse, sed tamen esse saltem quod — dicas causa ni fallor — responderet. — Structurae quae est § 16 ,qui profecto si nihil ad percipiendam uirtutem litteris adiuuarentur, nunquam se ad earum studium contulissent' simillima est Lael. 4, 13 (nostri maiores), mortuis tam religiose iura tribuerunt; quod non fecissent profecto si nihil ad eos pertinere arbitrarentur'. ubi Seyffert p. 66 quaedam ascripsit, plura Zumpt Gr. L. 525, Henrichsen ad Cic. de or. II 224 p. 252, Mathiae ad Catil. II, 3, Piderit ad Brut. 238 p. 148.

§. 21 populus Romanus aperuit Lucullo imperante Pontum et regiis quondam opibus et ipsa naturae regione uallatum est in libris: ,natura et regione' scr. esse duxit Mommsen, n. ac r. Hirschfelder: sed p. ac hic non est locus. ,naturae et regio' fuerunt qui dicerent, neque in eo quod p. et postquam membra seiunxit, alterum membrum diuidit, quicquam

offensionis est. sic enim legimus §. 5 ,hunc et Tarentini et Regini et Neapolitani ciuitate ceterisque praemii donarunt, et omnes, qui aliquid de ingenii poterant iudicare, cognitione atque hospitio dignum existimarunt'; de or. I 9, 36; ad 35 Ellendt similia concessit p. 29, ad Brut. 327 p. 318; Liu. 23, 18, 15; al. sed ut urbs natura et regione vallata recte dicitur, ita non recte atque paene subridicule terra siue regio. quare ,natura egregie vallatum', quod C. Benecke, Th. Bergk (probante Stürenburgio), pater meus, ego denique ipse conjectura assecuti sumus, reponere non dubitau. adu. egregie crebro cum muniendi uerbo coniungitur. — Iam idem Stürenburg ante u. Lucullo praenomen L. excidisse recte statuit. §. 24 non abs re erit monere ,nostrum hunc Magnum' opponi ,magno illi Alexandro'.

§. 26 (Metellus Pius) qui usque eo de suis rebus scribi cuperet, ut etiam Cordubae natis poëtis, pingue quiddam sonantibus atque peregrinum, tamen auris suas dederet. ,dederet' Fleckeisen in ,dederit' mutandum censet, id quod scriptum esse in cod. Laud. C. Ernestius testatur. sed quidni Ciceroni ui quae inest in ea formula aucta licuerit dicere, Metellum adeo gloriae cupidum fuisse, ut uel Hispanos qui ipsum celebrarent tamquam praeclaros poëtas admiraretur eisque aures suas non solum daret sed etiam dederet i. e. daret habendas atque quasi proprias? patrio quidem sermone in usu sunt et ,Gehör schenken' et ,sein Ohr leihen': nec tamen futurum esse puto ut quisquam offendatur si quis dicat ,sein Ohr schenken'.

§. 29 insidet quaedam in optimo quoque uirtus, quae noctis ac dies animum gloriae stimulis concitat atque admonet non cum uitiae tempore esse dimittendam commemorationem nominis nostri, sed cum omni posteritate adaequandam. dimittendi uocabulo quam sententiam tribuerit Kaiser ut seruaret, non perspicio. uitam enim dimittere quid sit scio, nescio quid sit uitiae tempus dimittere. Lambinus igitur ut solet praeclare ,dimetiendam' scr. esse coniecit, Bergk ,dimetandam': sed illi officit pr. cum — tempore uitiae enim (non) est dimetienda commemorationis nominis nostri, nec tamen cum uitiae tempore —, huic gerundiuum: nam cum uitiae tempore non est dimetata (sc. a fato) commemorationis nominis nostri ist die Erwähnung unseres Namens abgegrenzt', non, ut interpretatur Stürenburg, ,darf abgegrenzt werden, ihr Ende finden'. itaque Ciceronis esse suspicor commetiendam. cuius structurae exemplum Schütz in lexico Ciceroniano hoc ascripsit (de inu. 1, 26, 39; numerum correxii), nam saepe oportet commetiri cum tempore negotium'.

Or. pro Roscio Amerino 1, 2 si quis horum dixisset quos uidetis adesse, in quibus summa auctoritas est atque amplitudo, si uerbum de re publica fecisset — id quod in hac causa fieri necesse est —, multo plura quam dixisset putaretur: ego autem (sic cod. Vat.; cf. 58) si omnia, quae dicenda sunt, libere dixero, nequaquam tamen similiter oratio mea exire atque in uolgas emanare poterit; deinde quod ceterorum neque dictum obscurum potest esse propter nobilitatem et amplitudinem, neque temere dicto concedi propter aetatem et prudentiam: ego si quid liberius dixero, uel occultum esse, propterea quod nondum ad rem publicam accessi, uel ignosci adulescentiae poterit. C. Halm obseruauit uu. ,nequaquam ... poterit' illis ,multo plura ... putaretur' non bene opponi. sed grauius est quod haec uerba ne alteri quidem membro ,uel occultum ... poterit' ita respondent, ut hoc alteram (deinde), illud priorem causam contineat, sed ita ut Ciceronis orationem non ita posse exire explicetur atque probetur eo quod futurum sit ut uel sit occulta uel adulescentiae ignoscatur. accedit quod ne causae quidem duae (deinde), quibus condicio nobilium difficilior esse ostenditur, satis perspicue discernuntur. dicendum enim erat futurum esse ut cum plura dixisse putarentur quam dixissent⁴⁾, tum ea ipsa quae re uera dixissent neque possent obscura esse neque si temere dicta essent

⁴⁾ c. dixisset non ita est explicandus ut uu. ,si omnino dixisset' suppleantur, sed ea ratione qua 119 diceret.

ueniam impetrarent; deinde, si rem nullo adhibito artificio perpendimus, ,temere dicta' ipsa non sunt diuersa ab illis quae plura putantur dixisse quam dixerunt. tam confuse autem Ciceronem non scripsisse — nam or. pro Mur. 55 extr., quem locum certe interpretes indicare debebant, multo minus offendit, quia membra specie saltem differunt —, sed uitium latere in u. deinde arbitror: quod si abesset, omnia satis bene cohaererent. itaque in ideo mutandum esse censeo (85). iam sententia haec est: nobiles si quid dixerunt, multo plura putantur dixisse i. e. Sullam tectis uerbis perstrinxisse insimulantur, neque quae dixerunt tamquam inania, siue casu siue de consilio, utpote quae venia digna sint, negleguntur. etenim Cicero tantum aberat ut in suis uerbis, quippe qui uiginti septem annis minor omnibusque ignotus esset, quicquam, quod inesse noluisset, quaeri posse existimaret, ut sententiam generalem, orationem suam omnino exire in uolgas non posse, speciali ut aiunt substitueret.

§. 6 quae res ea est? bona patris huiusce Sex. Roscii, quae sunt sexagiens, quae de uiro clarissimo et fortissimo L. Sulla ... duobus milibus nummum sese dicit emisse ... L. Cornelius Chrysogonus. at non tam bona sunt, ea res' quae iudicium confluit, quam quae insequitur sententia ,is a uobis, indices, hoc postulat ... ut deleatis ex animo suo suspicionem ... hunc sibi ex animo scrupulum, qui se dies noctesque pungit ut euellatis postulat, ut ad hanc suam praedam adiutores nos profiteamini'. quare hactenus adsentior Weiskio alterum pr. quae expungenti, ut emendationem, qua structura fit expeditior, sententia magis perspicua, dicam esse ueri simillimam, necessariam negem. de pron. usu ,se stimulat' dilucide et copiose egit Nipperdey in Spicilegii alterius parte IV p. 11 s., de pr. ,illorum' § 95 p. 5.

§. 7 cum scribatur in hunc modum si uobis aequa et honesta postulatio uidetur, aliis alia, mihi pr. ea post honesta uidetur addendum. pergit ego contra breuem postulationem adfero: at eam neque breuorem esse neque u. breuem uerbis aequa et honesta respondere uideo; interpretes autem tacent. itaque Cicero si breuem scripsit, ut breuitatem sibi ipsi amicissimam esse dicit (p. Quint. 34), minime eleganter scripsit. sed cum a sententia requiri uideatur ,alteram', dubito an ab eo profectum sit ,itidem'. hoc loco extremo ,ut ... resistatis ... leuetis ... et propulsetis' pater meus suadebat ut c. et mutaretur in ut: uereor ne minus recte. — §. 8 ,cum multa indigna tum uel hoc indignissimum est': pronomen inter superlatiuum et u. uel uidetur interiectum esse ut magis etiam debere indignationem omnium commoueri summam significetur. nescio autem an §. 100 u. ,non' potius coniungendum sit cum uu. ,nunc primum': quam cum uu. ,hanc suspicionem': quod si facis, u. ,nunc' abundat. ,hanc' est i. q. ,huius rei', caedis: cui respondet u. ,palmas', u. ,multas' uerbis ,nunc primum'. summa, nec tamen mira, iudicii peruersitate usus hunc locum interpretatur Ellendt ad I. de or. III 116 p. 406 (u. lemniscatum enim efferendum est): qui similia hyperbata coaceruauit ad I, 10, 39; diuersi autem generis sunt quae ad I, 4, 13 ascrispit. cf. Nipperdey ad C. Nep. Alc. 7, 2 (ed. 1849). Ep. 4, 6. — De §. 72 ,tam est commune' et Verr. IV, 96 ,tam ex nobili' praeter ea quae Richter adnotauit uide eundem ad C. Nep. Dat. 6, 1, Madv. de fin. p. 651.

§. 11 omnes hanc quaestionem te praetore manifestis maleficiis cotidianoque sanguine dimissius (dimissuis, dimissim) sperant futuram. Madvig scripsit ,e manifestis ... dimissui sperant futuram': at ,dimissui esse' ut dicere licuerit — quod neque unquam in usu fuit neque propter sententiam quae inest in uerbo dici puto potuisse — sed ut licuerit, omnes illae formulae, contemptui inrisui derisui despiciatu (receptui) ostentui quaestui usui esse' ita semper adhibentur ut subiectum non agere aliquid sed pati dicatur; praeterea is qui contemnit inridet et q. s. significari solet datiuo casu qui aut additur aut mente facile suppletur. hic autem ne is quidem indicatur quem ea quaestio dimissa sit. denique nemo unquam nisi qui barbare ita locutus est ,quaestionem aliquem e sanguine dimissurum esse'. E. F. Eberhard et Kaiser ,dimissius' coniecerunt mutandum esse in ,remedium': sed iudicia in uniuersum remedia maleficiorum

recte appellantur, hoc iudicium potius terminus. neque eleganter addita uerba „maleficiis manifestis“ interrumpunt similitudinem qua uu. „remedium“ et „cotidiano sanguine“ coniunguntur. itaque cum Cicero sine dubio hoc fere dicturus esset, omnes hanc quaestionem cotidiano sanguini demum finem sperant facturam in editione scripsi ut sententia certe constaret, e manifestis maleficiis ... remissionem (Erholung) sperant laturam: malim tamen, cotidiano sanguini limitem sperant futurum. pergit Cicero §. 12, petimus ... ut cogitatis, nisi in hac causa qui uester animus sit ostendetis, eo prorumpere hominum cupiditatem et scelus ... ut ... inter ipsa subsellia caedes futurae sint: inf. praes. prorumpere offensus Richter addi iussit posse: quo facto totius sententiae uis debilitatur atque tollitur. si quid excidit, fuerit iam. in eo enim iam esse dicit Cicero ut hominum audacia nulla re cohibeatur: quid quod Sex. Roscius insidiis petitus coactus est, cum praesidio in forum uenire? (cf. 107 ipsos certo scio non negare). ceterum coni. pr. (loco ci. fut. I) ostendatis, ante Madvigum iam ab Ernestio restitutus, coniunctiuo pf. (c. fut. ex.) ostendebitis, quem ex Heusingeri et eiusdem Ernestii conjectura Kaiser recepit, uidetur praestare. significatur enim, quo primum tempore Roscius prodatur, eo statim prorumpere audaciam. cf. §. 10. Verr. V, 126. indicatiuum autem, quem defendit Richter (ad §. 153), cum iudices ut cogitent admoneantur, non posse ferri credo.

§. 16 postea quam uictoria constituta est ab armisque recessum (recessimus libri: recessum Halm, r. est E. F. Eberhard a. 1830), cum proscripterentur homines atque ex omni regione caperentur ei qui aduersarii fuisse putabantur, erat ille Romae frequens. inepte distinguuntur „homines“ ab eis qui aduersarii fuisse putabantur; poterat u. „homines“ abesse: sed cum adsit, in omnes mutandum esse censeo, quod coniungatur cum u. „ei“, respondeat uerbo „omni“. Cicero igitur „omnes“ ait, „qui Sullae aduersarii fuerant, tum occisi sunt; atqui illum nemo ne uerbo quidem accusauit: ergo nobilibus non est aduersatus“. pater meus restituta uoluit „hominum ... carperentur“; ego u. caperentur substituam captarentur.

§. 18 nam cum hic Sex. Roscius esset Ameriae, T. autem iste Roscius Romae, cum hic filius adsiduus in praediis esset cumque se uoluntate patris rei familiari uitaeque rusticae dedisset, iste autem frequens Romae esset, occiditur ad balneas Pallacinas rediens a cena Sex. Roscius. inepte repetuntur, T. autem iste Roscius Romae... iste autem frequens Romae esset; si uero istum patrem esse sumis, neque pronomen potest ferri neque haec structura, cum ille frequens Romae esset, occiditur... Sex. Roscius. inepte additur „filius“, inepte hoc loco memoratur eum se uoluntate patris rei rusticae dedisse. quare cum uu. „cum hic filius ... Romae esset“ ea quae antecesserunt partim ipsa recoquerent partim inficte uerbis ex cetera oratione petitis interpretarentur (16.51.81), a Cicerone abiudicanda arbitrabar. talibus autem additamentis haec oratio referta est; uide modo 30. 65. ceterum necessario pr. iste corrigendum: qui locum subdidit scripsérat ipse (sc. pater); cf. §. 16 p. m. — De balneis Pallacinis et de uico Pallacine disseruerunt Jordan et Zangemeister in Herme 2, 76. 413. 470. §. 19 plurali cisiis Cicero callide usus est, quasi Mallius Glaucia uehicula mutauerit. omnia igitur tam diligenter praeparata — noctu enim proficiscebatur —, ut certis interuallis equos iam iunctos inueniret, finguntur.

§. 20 res ad Chrysogonum in castra L. Sullae Volaterras defertur. at Sulla Volaterras obsidebat; et recte legitur 105 „ad Volaterras in castra L. Sullae“: probabiliter igitur pater meus suppleuit praep. ad, quae quam facile post u. Sullae excidere potuerit patet: nisi forte Cicero praep. minus accurate eam ob rem praetermississe putandus est, quod modo dixit „ad Chrysogonum“. paulo post haec sunt in libris „cum pater huiuscem... Sex. Roscius, homo tam splendidus, nullo negotio sit occisus, perfacile hunc hominem... de medio tolli posse“: cum filius et pater componantur, quorum utrique nomen Sex. Roscio est, minime apte illi soli tribuitur. ac ne quis ideo defendere conetur ut sit „talis uir qualis fuit Sex. Roscius“, haec adiecta sunt „homo

tam splendidus et gratiosus^t. quare certum est, uu. Sex. Roscius non bene adiecta esse, non improbable, expellenda esse. paragrapho proxima autem nomen Sex. Rosciⁱ eo quo dixi sensu adhibitum est: „nomen refertur in tabulas Sex. Rosciⁱ“. post quae uerba excidisse ea fere quae Hotomanus suppleuit „bona eius proscribuntur“, arguunt uu. „manceps fit Chrysogonus^t. praetermittam autem pr. eius, ut haec sibi respondeant „nomen refertur in tabulas Sex. Rosciⁱ“ et „bona ueneunt hominis studiosissimi nobilitatis^t.

§. 21 haec omnia... imprudente L. Sulla facta esse certo scio; neque enim mirum, cum eodem tempore et ea quae praeterita sunt * et ea quae uidentur instare praeparet, ... si aliquid non animaduertat. sic Kaiser: sanet Halm et Richter inseruerunt Rinkesio autore. sed uolnera mala incommoda curae mentes denique quaecunque aegra sunt possunt sanari, non possunt sanari praeterita. qualis haec esset translatio! ac ne reparandi quidem uerbum, quod Lambinus ex „codice optimo“, id est ex ingenio suo, depropmsit, coniungitur cum u. praeterita: optime uero Ernestii sagacitas suppleuit curet. quod uocabulum cum ille post sunt adderet, ego ut per chiasnum membra sibi responderent, ante quae adieci: neque enim qui eo loco potuerit pratermitti difficile est intellectu. atque hoc quidem Ciceronem patet scribere potuisse, scripsisse ueri simile reddunt cum litterarum ductus tum uerbum praeparandi cum u. instandi coniunctum: sed forsitan uerum indagauerit pater meus, cum nihil excidisse ratus u. praeparet mutari iussit in procuret.

§. 24 Amerinis ... multa simul ante oculos uersabantur: ... bonorum emptio flagitiosa possessio furta rapinae donationes. ut ne unum u. emptio instructum esset adiectiuo, Lambinus ex codice Memmii, si dis placet, adiecit „flagitiosa“, ego „flagitiosior“. iam uero uu. „emptio“ et „flagitiosa“ arctius conexa a tribus illis uerbis, quae quid post occupata bona factum sit tradunt, separantur. si uero Osenbrüggenum secutus uerba ita distinguis „bonorum emptio flagitiosa, possessio furta rapinae donationes“, demonstres uelim qui sibi haec ita respondeant ut furta non a rapinis seiungantur.

§. 26 Postquam Amerinorum legati a Sulla re inorata reuerterunt, Chrysogonus et T. Roscius Capito primo rem differre cotidie ac procrastinare ... cooperunt; deinde aliquanto lentius nihil agere atque deludere; postremo — id quod facile intellectum est — insidias uitiae huiusce Sex. Rosciⁱ parare neque sese arbitrari posse diutius alienam pecuniam domino incolumi obtinere. qui secluserunt nihil, non cogitauerunt utrumque, cum omnino nihil hucusque ex uoluntate legatorum fecisset, non potuisse aliquanto lentius agere. antea quidem se summa uti industria simulauerant, deinde securiores facti iam apertius atque fidentius nihil agebant, denique ad summam audaciam progressi Roscio insidias parabant. suspicor igitur a Cicerone profectum esse „aliquanto insolentius nihil agere“. non multo post uu. „id quod facile intellectum est“ explicari quidem possunt ut sint „tum a nobis perspectum est (a uobis, iudices, iam intellegitur) insidias ab illis structas esse“, fortasse tamen restituendum est intellectu „wie man sich dies nach dem Erzählten leicht vorstellen kann^t, qua re Cicero eis, quae de insidiis Sex. Roscio ab accusatoribus paratis narrauit, fidem facit.

§. 30 abesse uidetur: hexametri clausulam ne in extremo quidem orationis membro Ciceronem tam anxie uitasse ut indicatiuus in coni. uideantur, qui quidem frequentior in tali re adhibetur, mutandus sit, post Garatonium Heindorf ad l. de n. d. p. 144, Zumpt ad Verr. p. 66, Madvig ad l. de fin. p. 485 obseruauerunt. uelut in hac oratione leguntur 71 nonne uidentur, 118 recessisse uidetur (114 illeque sese). Verr. IV, 47 egisse uidetur, 71 fuisse putatis cett. or. p. Rosc. com. (in qua praeualet numerus trochaicus) §. 7 tabulas recitauit, 43 recitabimus. erras, 28 erat pretiosa; 31 discruciatur: „facere audes^t“ 26 uix potest dici versus clausula; neque magis 55 „sic socius sibi soli, non sociis petit, et quem^t. hunc numerum uno exemplo augebant,

§. 113 qui ex Graeui conjectura in his ,etiam neglegentia mandati in crimen iudiciumque infamia uocatur⁴ u. infamia expunxerunt: mihi ,iudiciumque infame⁵ uidetur scribendum, ut legitur §. 111 ,mandati iudicium turpe⁶. 113; de or. 1, 166 e. Schütz lex. Cic. 3, 240; de re uide Jordanum ad or. p. Caecin. 3, 7 p. 153; quae conjectura eo firmatur quod infra legitur ,quo iudicio damnabitur⁷ (113 e.). paulo post quin Richter coniunctiuo correcto uerum restituerit ,commissa est⁸ ego non dubito: male intellexerat qui ,commissa sit⁹ scripsit coniunct. qui insequitur ,laeserit¹⁰. uitium indidem natum ex or. p. Ligar. 34 dudum Hansing sustulit.

§. 31 licet undique omnes minae (s. mine) terrores periculaque impendebant omnia. cum et u. ,omnis¹¹ repetitum bipertitam fuisse orationem ostendat, neque minae impendeant, egregie C. Halm et pater meus restituerunt immineant. ego suspicatus sum minentur, quod et proprius a litteris abest, et fortasse etiam aptius cum u. ,terrores¹² coniungitur.

§. 34 illud, quia in Scaeuela factum est, magis indignum uidetur: hoc, quia fit a Chrysogono, num est ferendum? alterum indignum uidetur, alterum non ferendum. sed in membro priore si additur ,magis¹³, comparatione iam instituta sententiae nis infringitur. nam si illud facinus magis est indignum, patet hoc minus quidem indignum attamen indignum dici. atqui quod indignum est, utique non est ferendum. qua de causa W. Hirschfelder et ego u. magis ex priore in alterum membrum transponendum censimus. ad §. 33 extr. ,quos quia seruare ... uolebat, ipse ab eis interemptus est¹⁴ Halm adnotauit uerbis ,quos¹⁵ et ,eis¹⁶ ciues quidem Romanos, sed tamen diuersos significari. cf. Thuc. 8, 6 ὀργημένων τῶν ἐν Σάρω Αθηναίον πλεῖρα ἐπὶ σφᾶς αἰτούσι. i. e. τοὺς οἴου. Xen. Hell. II, 1, 16 οἱ Ἀθηναῖοι παρεσκενάζοντο πρὸς ταῦτα γιαν (qui erant in Asiae ora) καὶ στρατηγοὺς πρὸς τοὺς ὑπάρχοντας προσεδόντο (qui erant Athenis). Liu. 22, 29, 4 ,suos¹⁷.

§. 35 criminis confictionem accusator Erucius suscepit; audaciae partis Roscius sibi poposcerunt (rectius depoposcerunt Lambinus, id quod seruauit Victorinus); Chrysogonus autem, is qui plurimum potest, potentia pugnat. ob nomina Rosciorum et Chrysogoni non nomen Erucii, id quod suasit Madvig, sed u. accusator eiciendum esse ueri simile est. Madvigi quidem uidetur mouisse nomen Erucii verbo ,accusator¹⁸ postpositum ut illud potius deleret: sed quidni u. accusator supra scriptum a librario prius lectum prius exaratum sit? eadem ratione corrigendum arbitror Verr. II 1, 18, 46 signa illa Apollinis reperiuntur: ubi Kaiser Lg. 29 secutus illa secludit, ego Apollinis. nemo enim u. illa, facile aliquis nomen Apollinis explicandi causa adiecerit. neque ueri simile est omnia illa signa unum Apollinem repreaesentasse, neque potest genetiuus esse qui dicitur possessiuus.

§. 37 occidisse patrem Sex. Roscius arguitur. scelestum, di immortales, ac nefarium facinus atque eiusmodi, quo uno maleficio scelera omnia complexa esse uideantur. p. complexa passiue ut aiunt adhibitum non est quod dubitationem moveat. sed saepissime post pron. rel. idem repetitur substantium, uelut postridie eius diei, quo die, non uero substituitur alterum. recte igitur dicitur nefarium facinus, quo uno facinore..., offendit facinus, quo...maleficio. quae praeterea insint difficultates, Bakii acumen demonstrauit (Mnemos. 8, 114); sed uiolentius locum uidetur mutauisse. comparantibus autem nobis Verr. II, 2, 34, 82 ,accipite nunc aliud eius facinus nobile et multis locis saepe commemoratum et eius modi, ut in uno omnia maleficia inesse uideantur¹⁹ et II 4, 27, 60 ,uenio nunc ...ad eius modi facinus, in quo omnia nefaria contineri mihi atque inesse uideantur²⁰, ueri simile erit aut u. maleficio²¹ delendum esse, aut cum ,uno maleficio²² errore propinquuo scriptum esset pro ,uno maleficio²³, fuisse qui obiectum adderet scelera, ut scribendum sit ,quo uno maleficia [scelera] omnia c. e. u.²⁴ quorum illud, cum §. 38 insequatur ,maleficio²⁵, probabilius est. cf. 30. 75. 117 e. sq. 122 m. Verr. V, 170. 189. prorsus autem discrepat §. 72 m.

§. 40 ,patri²⁶ inquit ,non placebat²⁷: quam ob causam? necesse est enim eam quoque iustum et magnam et perspicuam fuisse. quod Richter coniecit scr. esse ,n. e. e.

causam eamque iustum' ulde placet: nam neque res ipsa negatur iusta esse neque u. quoque est idem atque u. etiam. facilius tamen mihi uidetur scribere eam utique. hic autem est nexus sententiarum: ,quodsi iure filium patri displicuisse contendis, quae fuerit causa quaeri et oportet et licet: nam fieri non potest quin causa non solum fuerit, sed etiam fuerit magna'. cf. §. 73 a. m. non potest autem cum hoc loco comparari l. de or. I 135; ubi uide quae Piderit scite adnotauit.

§. 51 summi uiri clarissimique homines, qui omni tempore ad gubernacula rei publicae sedere debebant, tamen in agris quoque colendis aliquantum operae temporisque consumpserint. fortasse Cicero scripsit sedebant. de uu. uiri et homines iunctis uide quae disputauit Ellendt ad Cic. de or. III 4, 13 p. 355 s.

§. 52 odium igitur acerrimum patris in filium ex hoc, opinor, ostenditur, Eruci, quod hunc ruri esse patiebatur. ante u. ostenditur Richter addere malebat non: ego interpunctionem mutandam censeo ut sententia sit exclamatio. nimis enim stulte haec Erucium effudisse arguit.

§. 59 Erucium credo, cum uidisset qui homines in hisce subselliis sederent, quae sissem num ille aut ille defensurus esset: de me ne suspicatum quidem esse, quod antea causam publicam nullam dixerim. patrem meum ut corrigeret dixeram eo puto adductum esse, quod si Erucius de Cicerone omnino non cogitauit, quae adfertur causa, cur Cicero non dicturus sit, ex accusatoris mente profecta esse nequit. neque prohibeant quin hanc conjecturam probemus quattuor uocabula in eandem syllabam cadentia: a qua re ne in libris quidem de oratore Ciceronem sibi cauisse post Wopkensium plures docuerunt. sed si Cicero causam tamquam ex mente Erucii profectam adferret, ex tota enuntiati structura patet eum scripturum fuisse dixisset. coniunctuum autem tp. perf. ob id ipsum Cicero adhibuit ut non Erucii sed suam ipsius sententiam esse indicaret. quod cum fit, ex nostra dicendi ratione indicatiuus requiritur, Latini sibi non constant: interdum enim, etiamsi non ea quam antea habuisti sententia tamquam alterius hominis adfertur, tamen coniunctiuo utuntur. eo maiore autem cautione hoc loco opus erat, quod Ciceronem ind. perf. dixi usurum fuisse puto. quamquam per attractiōnēm ut aiunt pl. pf. scribi potuisse concedo, ut id temporis significaretur quo Erucius nondum suspicatus erat Ciceronem dicturum esse, quod antea causam publicam nondum egerat. similis huic loco est fuerit §. 76, ubi pater meus item corrigebat fuerat, omnino differt scrips(er)it §. 70.

§. 62 quod in minimis noxiis et in his leuioribus peccatis, quae magis crebra et iam prope cotidiana sunt, id maxime et primum quaeritur, quae causa maleficii fuerit, id Erucius in parricidio quaeri non putat oportere. id ante u. maxime pars editorum cum edd. Veneta et Cratandria deleuit, pars in et mutauit, pars reliquit: ego ex notissimo illo compendio (ut) natum esse ratus scripsi uel (§. 69).

§. 74 unde eos (sicarios, quorum opera filius patrem occidisse insimulatur) nouerat Roscius, qui Romam multis annis non uenit neque umquam plus triduo fuit? ubi eos conuenit? quicum locutus est? quo modo persuasit? ,premium dedit'. ,quicum locutus est', siue quod inde fecit Richter ,quicum conlocutus est' interrumpunt haec ,ubi eos conuenit?' et ,quo modo persuasit'. offendit etiam numerus nulla de causa mutatus; differt autem quod insequitur responsum ,cui dedit?' G. Krüger igitur emendabat ,qui conlocutus est' acute sane et eleganter; sed ni fallor qui quaerit ,qui conlocutus est' aut qua ratione factum sit siue fieri potuerit ut conloqueretur, aut quem ad modum, i. e. quibus uerbis quoque consilio conlocutus sit comperire cupit: ergo ,qui conlocutus est?' significat nihil nisi aut ,ubi eos conuenit?' aut ,quo modo persuasit?' non negem obstinate in tali praesertim interrogationum concertatione atque strepitu Ciceronem uerba illa inania addere potuisse: ueri similius tamen puto uu. ,quicum locutus

est' nata esse ex eis quae sequuntur ,numquam cum homine quoquam conlocutum esse'. legerat autem qui inculcauit u. quicum §. 58.

§. 76 litteras, credo, misit alicui sicario, qui Romae nouerat neminem. ,accersiuit aliquem.' quem aut quando? ,nuntium misit.' quem aut ad quem? cum respondisset accusator ,accersiuit aliquem', pergit patronus interrogare ,quem aut quando?' cui ille ,nuntium misit'. inde adparet fieri non potuisse ut ex eo quaesuerit ,quem?' sed ,per quem.' sic paulo post ,quem nuntium misit?' accedit quod qui modo dixit Roscium Romae nouisse neminem, is non interrogabit ,quem accersiuit?' sed certe ,quemnam, quaeſo?' ,quem? inquam'. tum demum bene additur ,aut quando'. cf. §. 79 a. m. 62, ubi, qua ratione, per quos, quo tempore maleficium sit commissum'. 74.

§. 77 o di immortales! quod in tali criminis quod innocentis saluti solet esse ut seruos in quaestionem polliceatur, id Sex. Roscio facere non licet. post exclamationem Cicero non solet adhibere coniunctionem causalem quod siue quia, sed nouum incipere enuntiatum; uitium autem inesse in his ,quod innocentis uerba opposita ,id Sex. Roscio facere non licet' efficiunt. atque horum loco certe requiri ,innocentibus' perspexit Car. Halm, sed enuntiatum causale non immutauit. itaque potius u. ,quod' uitio laborare arbitratus reposui omni ,quod post u. criminis facile potuit excidere, Hirschfeldero autem suadente pro u. quod scripsi reo. quod quidem factum nolle. nam u. innocens saepe substantiui partes tenet (6. 15. 56. 141 149). casu autem accidit ut quod ego dum in plagulis iterum corrigendis sum occupatus margini adleueram ,cuique?', cum antea excusum esset ,omni', a hypotheta in huius uerbi locum substitutum, sede sua id expelleret. sic igitur scriptum uelim ,quod in tali criminis omni innocentis s. s. e., ... Paulo post in uu. ,meministisne T. Roscium recusare?' offendor propterea quod qui aliquotiens egerunt ut Sex. Roscius seruos in quaestionem postularet, ei non erat uerendum ne non meminerint. praetorem atque iudices iure potuit interrogare, meminissentne, non item testes atque actores. id quidem non premam quod §. 119 legitur ,dixi iam antea saepe numero postulatos esse ... duos seruos in quaestionem: tu semper, T. Rosci, negauisti'. si uu. illa ,m. T. R. r.' abessent, id quod nullo sententiae detrimento fieret — nam §. 78 sequitur ,quid facitis? cur recusatis?' — uu. ,quid? ei serui ubi sunt?' cum hoc significarent, sed cur non adsunt, cur de eis non quaeritur? nimirum ob id, quod grauius est; sectantur Chrysogonum', optime cum eis quae antecedunt conexa essent. sed uidetur Cicero et de consilio indices saepius commonere, ab aduersariis seruos in quaestionem recusari, et quasi formula non satis illa quidem idonea usus, testes adhortari ut illam rem confirmarent. Ceterum locum qui est de quaestionibus tractauerunt Halm ad Sull. 78 ed. lat. et Kaiser ad Cornif. II 10 p. 243.

§. 82 nisi forte exspectatis, ut illa diluam, quae de peculatu ac de eius modi rebus commenticiis inaudita nobis ante hoc tempus ac noua obiecit; quae mihi iste uisus est ex alia oratione declamare, quam in alium reum commentaretur. recte dixisset ,ex alia oratione quam tum ipsum commentaretur' aut ,ex oratione quam in alium reum commentaretur', non item ,ex alia oratione quam in alium reum commentaretur', quasi de alia oratione in eundem reum cogitari possit. quare uidetur restituendum ,ex aliqua oratione'. Tempore ipf. ,putabat', non praesenti, in loco extremo Cicero usus est ut significaret ,antequam causa agi coepit'. De pr. ex in his ,accusarem alios potius, ex quibus possem crescere' §. 83 disputauit Ellendt ad I. de or. I, 133 p. 77, de pr. ad §. 85 ,non tam propensus ad misericordiam quam implacatus (quod Graenius de conjectura restituit in locum u. implicatus) ad seueritatem' idem ad I. I 4, 15 p. 16, de pr. ab in his ,ab innocentia elementissimus', ad II 281 p. 310; cf. Rosc. Am. 104.

§. 89 uerum ego forsitan propter multitudinem patronorum in grege adnumerer: te pugna Cannensis accusatorem sat bonum fecit'. ,pugna Cannensis' nihil aliud est quam pugna apud Cannas commissa, nisi aut adiecto aliquo uocabulo, siue pronomine (uelut ille) siue adiectiu siue

genetiuo (uelut nequitiae) definitur, aut praedicati loco est (,pugnam Cannensem dices'). hoc uero loco cum ne antecesserit quidem quo referri possit, nihil est unde allegoriam esse cognoscas. Philippus igitur Buttmann ante hos sexaginta sex annos facillimo usus remedio genetiuum restituit ,te pugna Cannensis accusatorum sat bonum (sc. accusatorem) fecit'. quod membrum iam accurate respondet alteri ,ego propter multitudinem patronorum in grege (patronorum) adnumeretur'. sed ut fit, praeter Büchnerum, qui idem sua sponte reppererat, inter tot editores nemo quod sciā erat qui Buttmani inventum probaret. scilicet quominus eum sequerentur cum alia obstabant, tum summa sane atque omni dubitatione maior Scholiastae Gronouianae qui fertur auctoritas. qui haec habet: ,pugna Cannensis accusatorem] non intellegebant iudices, quid esset pugna Cannensis; sed emendauit (corr. enodauit) et praesens exemplum protulit'. notes uelim, ut cognoscas utris faueat, qui uerba in lemmate iuncta sint. — De uu. ,sat bonum' uidet Ellendt. ad l. de or. III, 84 p. 393. paulo post in his ,Priamum ipsum, senem Antistium u. senem non est delendum, sed poëtae uerbis tribuendum: ,Priamum ipsum senem, Antistium'. epitheton frequens est; ab Ennio ipso Priamus dicitur ueter. — Versum ,quis ibi non est uolneratus ferro Phrygio' (,Frugio' ex scholio Ribbeck, ,Brugio' cum Osanno Vahlen) alii ad Achillem, Ribbeck et Vahlen ad Hectoris lutra referri posse uiderunt: sed quod apud Ribbeckum Scaen. Rom. poës. fr. I² p. 60 legitur ,Herculis lutra' hypothetae doctissimo, cui in mentem uenit τῶν Ἡρακλείων λοντρῶν, sine dubio debetur. uersum esse §. 140 primus uidet Gruter, deinde Garatoniū: creticum adgnouerunt E. F. Eberhard, Halm (in ed. nouissima; in maiore ne memorauit quidem), Ribbeck: Richtero tamen non persuaserunt.

§. 91 ruendi uerbum (,ruebant in tenebris omniaque miscebant') bene interpretatus est Richter ,toben, vom äusseren Gebahren eines Wüthenden'. ex hoc autem usu emendandum esse censeo or. Phil. II 68 extr. necesse est quamuis sis ut es uinolentus et furens, cum tibi obiecta est (non ,sit') species singularis uiri, perterritum te de somno excitari, furere etiam saepe uigilantem. ,quamuis sis furens... necesse est te furere' ferri nequeunt. restituendum censeo ruere, quem ad modum legitur or. Phil. III, 31 ,nec ruere demens nec furere desinit'; ad II 22, 53 similia ascripsit Garatoniū p. 364 Wernsd.

§. 93 ,ea multitudo quae erat? opinor, aut eorum qui in bonis erant occupati, aut eorum, qui ab eis conducebantur, ut aliquem occiderent'. ,in bonis alienis erant occupati' malebat Lambinus. quod quamquam sententiam maxime planam redderet, necessarium tamen non est. nam cum sicarii (,erat tum multitudo sicariorum') in bonis dicuntur esse occupati, profecto non sunt ,occupati' in suis. sectores autem numerat in sicariis. — §. 94 de structura ,permulta sunt, quae dici possunt, qua re intellegatur summam tibi facultatem fuisse maleficii suscipiendi' egit Nipperdey ad Corn. Nep. Cat. 2, 3 p. 168 (ed. 1849). — §. 95 etiam nunc sunt qui audacter scribere pergant ,medius fidius': qui quamquam magno opere uerendum est ne uetus suum Mumplimus sibi eripi non facile patientur, reputent tamen an rectius scribatur aut ,me dius Fidius' aut ,mediusfidius' aut ,me diusfidius': atque cum hoc comparandum quod apud nostrates est in usu ,Hérrgott'.

§. 96 Mallius Glaucia Roscium occisum esse qua ratione T. Roscio Capitoni primum nuntiauit? cum Capito compererit primus, pro adu. primum dat. primo pater meus et Büchner iure restituerunt. Glaucia primus (19. 96) Ameriam atque Capitoni primo caudem nuntiat. hic et 99 quaeritur cur neminem priorem, infra, cur Capitonem potissimum, non alium, §. 99 cur illum quam celerrime certiore fieri cupierit. §. 99 autem quid erat quod Capitonem primum scire uoluerit mendum animaduerterat Ernesti, cum suspicaretur scr. esse uellet. sed forsitan Cicero scripserit est: quo tempore per totam narrationem usus est.

§. 102 alter ex ipsa caede uolucrem nuntium Ameriam ad socium atque ad magistrum suum misit. cum praepositio hic repeti non possit, u. ad Halm et Madvig deleuerunt: ego mutandum censeo in adeo. ,atque adeo' se ipsum corrigentis est ,oder vielmehr', u. 29. 100

extr. 113 [p. 60, 16; cf. p. Quinct. 43 p. 11, 17. 13, 13 H. Tur.] p. Quinct. 46 extr. 93 m. Stürenburg ad Arch. p. 123 (ed. germ.). Seyffert. Schol. Lat. 1, 21 extr. Nescio autem an non recte in his ita more maiorum comparatum est ut *uel* in minimis rebus homines amplissimi testimonium de sua re non dicerent *uel*, quod adiecit Halm, retinuerim: neque enim semper additur, si ex rerum nexu quae sit sententia intellegitur. cf. Madvig ad l. de fin. III 1, 3 p. 344; §. 113 ,in minimis rebus', 116 ,in rebus minoribus', 77 ,unus puer ... relictus non est' i. e. ne unus quidem; ubi plura Richter attulit. ,si cuperet' 91. 102 est ,etiamsi'; cf. Ellendt de or. II 311 p. 325; I, 169. — §. 104 ,cum quae facitis eius modi sint ut ea dedita opera a nobis contra uosmet ipsos facere uideamini'. fuit cum haec mutato acc. ipsos in nom. ipsi emendare temptarem; frustra: antecessit enim iam ,dedita opera'.

§. 105 qui ei (Chrysogono) uenit in mentem praedia concupiscere hominis ignoti, quem omnino numquam uiderat? quodsi hominem ipsum non cognouit neque uidit, quidni bona eius concupuerit, si modo illa cognouerit? itaque qua de causa illum ipsum Chrysogono ignotum fuisse tanto opere extollitur ut addatur ,quem omnino numquam uiderat?' neque commode extollitur: nam dici debebat ,de quo omnino numquam quicquam audiuerat'. scribendum igitur suspicor ,quae omnino numquam uiderat'. plane autem haec concinunt cum eis quae paulo ante legimus ,non norat hominem aut rem'. pergit Cicero ,soletis, cum aliquid huiuscmodi auditis, continuo dicere: necesse est aliquem dixisse municipem aut uicinum; ei plerumque indicant, per eos plerique produntur: hic nihil est quod suspicionem hoc putetis'. ,audistis' ex cod. Guelferbytano recipiendum erat: repetitio enim significatur, ut in notissimo illo loco ,cum hoc ueni, id ipsum nihil agere me delectat' (de or. II 24): uide, ut alios omittam, quae Madvig ea de re ad l. de fin. V, 41 p. 680 disputauit. sic recte E. F. Eberhard, F. Schultz, J. K. Whittle scripsierunt §. 56 ,si qui noctu in Capitolium uenerunt' pro coni. uenerint. deinde uu. ,suspicionem hoc putetis' corrupta esse patet. sententia aut haec debebat esse ,hic nihil est quod suspicione utamur', aut haec ,nihil est quod suspicione modo niti siue agi putetis'. quarum illa praestat, haec paulo faciliore opera potest elici ita ut scribatur ,hic nihil est quod suspicione contineri putetis'; cf. §. 123 s. f. nimis enim uidetur artificiosum in re simplici quod Richter acute reponi iussit ,suspicione hoc computetis'. neque credo fieri posse ut aliquis ,suspicione computet' ,berechnet'. omnino autem differunt et quod cum hac structura Richter comparauit ,suspicione colligere' et probabilitatis calculus, ut aiunt mathematicorum filii.

§. 107 si eum qui indicii partem acceperit oculis cernetis, poteritisne dubitare, iudicetis, quis indicari? ,indictum' nemo ut rem indicatam significaret adhibuit. est quidem id quod merces indicii: quam totam T. Roscius accepit, non partem. atque haec quidem habeant quo commendentur: num uero credibile est fuisse qui interpretarentur ,partem praedae ut praemium indicii?' hoc uero non est explicare, sed implicare. pater meus igitur in u. ,partem' latere censuit ,praemium': sed dudum scriptum oportuit pretium. uitium inde natum puto quod sequitur ,quibus partem Chrysogonus dederit'.

§. 110 ,cum illo partem suam depecisci, hisce aliqua fretum ora (fretus mora G) semper omnis aditus ad Sullam intercludere' dicitur T. Roscius Capito. u. ,mora' quin restituendum sit inde a Manutio nemo erat qui dubitaret. ex ,fretu' autem — nam ,fretus' iam de conjectura scriptum uidetur — ut incredibile illud ,arte et mora' omittam, M. Haupt Herm. 3, 208 eruit uafre; at nimis artificiose aduerbiū inter uu. ,aliqua' et ,mora' interponitur; omnibus uero numeris absolutam, quippe quae non solum a sententia commendetur, sed etiam litterarum ductus presse sequatur, emendationem puto Graeui et Fr. Gronouii ,aliqua facta mora'. quam a Madvigo, Hauptio, Kaiseru spretam esse mirari satis non queo.

§. 111 ,in priuatis rebus si qui rem mandatam non modo malitiosius gessisset sui quaestus aut commodi causa, uerum etiam neglegentius, eum maiores summum admisisse dedecus existimabant'.

,non modo — uerum etiam^t patrio sermone est ,nicht etwa bloss (dann) — sondern auch schon^t. aliquatenus autem simile est l. de or. I, 227 ,haec cum a te diuinitus ego arbitrabar, Rufus non modo parum commode sed etiam turpiter et flagitiose dicta esse dicebat^t ,nicht etwa bloss — sondern sogar^t. non fieri illud, quod facile quis sumat, sed alterum, quod magis admirationem moueat, hac dicendi formula significatur. cf. or. Catil. I, 7 ,num me fecellit, Catilina, non modo res tanta ..., uerum etiam (sondern auch nur), id quod multo magis est admirandum, dies? ad fam. VIII, 1, 1 ,non modo perscribere haec sed omnino animaduertere^t; uide quae Hofmann adnotauit p. 120. multo saepius in tali sententia etiam praetermittitur (non modo, sed ... ,nicht etwa ... sondern^t, uelut Verr. IV, 90. Pomp. 66 Sull. 54. 76. Sest. 45. 108. al. cf. Seyffert ad Tuscul. p. 39). utrumque genus non satis discreuit Ellendt ad l. de or. I, 136 p. 78; neque magis disposite egit de structura tertia ,non modo ... sed ne ... quidem^t. atque haec in praesens praetermittam; ascribam autem quae structurae quam primo loco tetigi in promtu habeo exempla pauca. Verr. V, 1 ,sine ulla non modo religione, uerum etiam dissimulatione in omni genere furandi atque praedandi^t. Planc. 78 ,non modo pro salute tua, sed etiam pro dignitate^t. ad fam. XV, 6, 1 ,non modo omnes, uerum etiam multi^t. (Hofm. 1 p. 156). Weissenborn ad Liu. 24, 40, 12. de legg. III 11, 25 legebatur ,non modo liber sed etiam seruos^t ex deterioribus libris: meliores omittunt^t, sed etiam^t; ,sed^t ex uno incertae fidei, ut suaserat Bake p. 625, recepit Vahlen (148, 5). ex libris manu scriptis mutati sunt quos locos Muretus attulerat V. L. X, 7 (II p. 232 R.) de off. II 45 m. III 74 m. et ep. ad Att. II 1, 2 (ex cod. Mediceo ut uidetur correctus); cf. Beier ad l. de off. I p. 166. non autem hoc pertinent de sen. 75. Cat. I 3, 8 (uide Beneckium p. 39 s.). rectius de toto genere iudicauit Boot ad ep. ad Att. IV 2, 1 p. 161 (qui ad VIII, 12, p. 29 de uu. ,non modo^t in altero membro conlocatis disputauit), egregie ut solet Madvig, Gr. Lat. 461. ab hoc usu diuersa tetigerunt idem ad l. de fin. p. 25. Halm ad Sull. 56 p. 122 ed. lat. Or. Quinct. §. 96 cum praedicatum sit in priore membro positum, uox negans addenda est ,non praetorem modo ... inuenire non potuit ...^t: id quod Kaiserum fugit.

§. 112 quid recipis mandatum, si aut neglecturus aut ad tuum commodum conuersurus es? cur mihi te offers ac meis commodis officio simulato officis et obstabas? recede de medio; per alium transigam: suscipis onus officii, quod te putas sustinere posse, quod minime uidetur graue eis qui minime ipsi leues sunt^t. uu. ,quod te putas sustinere posse^t cum et opponatur, alis minime uideri graue, et respondeant uu. ,simulato officio^t, ferri nequeunt. intellegi quidem haec possent ,quod ipse putas sustineri posse, quod (re uera suspicere atque sustinere) minime uidetur graue aliis^t, sed obscurus esset sermo et asper. Richter igitur post u. ,posse^t quaedam, quorum haec sit sententia ,nun so trage die Bürde auch^t, ,und doch willst du sie als zu schwer ablegen^t; a librariis omissa esse censem. quod si recte fecit, haec fere suppleantur ,quod te putas sustinere posse, sustinere non audes^t. at neque ,putas^t oportuit dictum, sed ,scis, intellegis^t, et uu. ,quod te putas sustinere posse^t abundant. accedit quod omnis uis sententiae inest in notanda leuitate: leuitas autem conspicitur magis in suspicio negotio, in dimittendo magis ignavia: quae tamen membris duobus sibi met oppositis effertur. ex alterius autem membra conformatio (quod minime ... sunt) mihi uidetur effici, etiam prius (quod te p. s. p.) non bipertitum sed simplex fuisse, ita ut alteri prorsus respondeat (quod — quod; † putas sustinere posse — minime uidetur graue; te — qui minime ipsi leues sunt). omnibus igitur fere rebus penitus perspectis Kaiser adiecit u. non ante u. posse. cui quominus omnino adsentiar id impedit, quod non facile intellegitur, quia hoc potissimum loco uox negans exciderit. quare uitium quaerendum ratus in u. putas suspicatus sum a Cicerone profectum esse desperas. haec autem est sententia: ,deponis onus susceptum, non quod grauius fuerit, sed quia antequam suscepisti, iam spes te defecit te ferre posse^t. De iudicio infami §. 113 supra dictum p. 9 in.

§. 117 T. Roscius non unum rei pecuniariae socium fefellit, ... uerum nouem homines fortissimos, eiusdem muneris, legationis, officii mandatorumque socios induxit, decepit, destituit. si interpretaris munus esse magistratum, non uideo qui magistratui et legationi adiungi potuerit, officium mandatumque. nam caue putas uu. muneris (sc. decurionum) et officii, legationis et mandatorum sibi respondere; ut enim alia mittam, certe u. que debebat abesse. munus autem non ita differt a legatione, ut sit magistratus quo domi fungantur: immo uero legatio ipsa munus est. contra crebro officium et munus coniunguntur (innere und äussere Verpflichtung). uide modo l. de sen. 34 ,omnia exsequi regis officia et munera'. 29. de fin. IV, 36. de diu. II 107. p. Murena 73: quae exempla adripui potius quam conlegi; plura sine dubio Doederlein in libro de synonymis congesit, qui mihi hoc tempore ad manus non est. sed quo saepius munus et officium componuntur, eo minus hoc loco propter u. legationis munus potest haberi pro magistratu domestico. omnino autem inepte uerbo legationis inculcato munus et officium dirimuntur. quae cum ita sint, u. legationis utspte ad u. muneris explicandum ascriptum eiciendum duco. Ceterum ,homines fortissimi' sunt probissimi.

§. 120 in loco conclamato Madvigum, ut par est, sequor, nisi quod in altero enuntiato ut utraque pars priori, in dominos quaeri de seruis iniquum est' respondeat, scribendum censeo, neque est iniquum de illis quaeri'. cf. 122. — §. 121 ,quo studiosius ab istis opprimitur et absconditur, eo magis eminet et adparet' opprimere est occultare, quae significatio ut rara ita certis exemplis e Liuio praecipue desumptis stabilita est: ut non sit cur scribatur ,ab istis supprimitur'.

§. 123 quae posita sunt in suspicionibus, de quibus si coepero dicere, pluribus uerbis sit disserendum, ea uestris ingeniiis conjecturaeque committo. cum et extrema uerba et quae opposita sunt doceant Ciceronem de suspicionibus non esse dicturum, totamque rem non aliter atque cum dicit ,dies deficiat, si uelim enumerare' modo cogitare, coniunctiu[m] perf. coeperim restituere eo minus dubito quia in codice Guelferbytano, qui ut in malis optimus est, uu. ,de quibus ... plura' desunt.

§. 125 atque hoc non ita quaeram, ut id dicam esse indignum, hominis innocentis bona uenisse; si enim haec audientur ac libere dicentur, non fuit tantus homo Sex. Roscius in ciuitate, ut de eo potissimum conqueramur. scriberem audenter, nisi et adu. ipsum raro tantum et sero adhibitus esset, et p. ac obstaret. accedit quod etiam ind. fut. dicentur offendit. fortasse igitur restituendum ,si enim haec prudenter ac libere iudicentur' (eine ruhige, besonnene :... Beurtheilung erfährt'). §. 124 uerborum hoc ordine ,ita se res habet' conlocatorum exemplis addendum quae conlegerunt Madvig ad l. de fin. I, 7, 25 p. 57. Heindorf ad l. de n. d. III 89 p. 376. Zumpt ad Verr. V, 89 p. 904. Bake ad l. de leg. I, 36 p. 379. Dietsch ad Sall. Jug. 53, 8.

§. 126 si lege (Sex. Roscius occisus est), bona quoque lege uenissee fateor; sin autem constat contra omnis non modo ueteres leges, uerum etiam nouas occisum esse, bona quo iure aut quo modo aut qua lege uenierint quaero. u. modus Halm sic interpretatur ,auf welche Weise, ob als proscribentes oder als feindliches Eigenthum, oder in welcher andern Eigenschaft': sed hoc est quo nomine. neque quae Manutius conlegit ad or. Quint. c. 7 p. 14 p. m. ed. Ald. Venet. a. 1578 huc referri possunt. Ernestius autem cum modo, ut cunque explicas, locum inter ius et legem non esse perspicere, cum more commutauit. ei quidem non multum tribuam, cum Cicero a re maiore descendat ad minorem, ut ne more quidem aliquo, nedum iure, uenisse bona diceret, u. more ultimum tenere locum oportuisse (cf. 143 ,more, lege, iure gentium'): nam arte quadam lege'm a iure et more seiungere potuit ut significaret neque iustum esse neque pro consuetudine populi Romani (or. Ligar. 11). non negabo igitur Ciceronem minus accurate u. more scribere potuisse: sed agitur more in rebus minus granibus, cum bona publicantur, credo, iure tantum et lege. (cf. l. de inu. II 162. 67). morem enim quominus arcte

cum iure coniunctum putemus impedit repetitum illud aut quo. plane autem diuersa sunt quae leguntur Quint. 28 ,contra ius, consuetudinem, edicta praetorum de ... agro communi a communibus seruis detruditur' et §. 153 m. suspicor igitur uu. quo modo ex uersu antecedenti (,non modo') huc perperam relata esse. itaque deleuerim. Etiam §. 127 interpolatoris fraus detegenda atque expellenda est:

§. 127 ego haec omnia Chrysogonum fecisse dico, ut ementiretur, ut malum ciuem Roscium fuisse fingeret, ut eum apud aduersarios occisum esse diceret, ut his de rebus a legatis Amerinorum doceri L. Sullam passus non sit. ut Sexti Roscii a Titis, Chrysogoni sociis, discernerentur per totam hanc orationem praenomina abesse non posse intellexit Ernestius. quem pauci secuti sunt; uelut hoc loco pr. S. (Sex.) unus addidit Richter, praetermisserunt Halm, qui in editione Turicensi Ernestii conjecturam ne memorauit quidem, et Madvig: nisi forte in editione quarta Hauniensi, quae mendozissime expressa est, cum tot aliis uocabulis typothetae culpa excidit. sed alterum quoque uitium idque grauius subesse ostendit temporum ordo (ementiretur, fingeret, diceret) incommode abruptus (passus sit). neque potest fieri ut trium priorum enuntiatorum rationem putemus diuersam esse a postremo: nam illa a uocabulis ,haec ... fecisse' pendent (dass n mlich), hoc tamen utique quod Chrysogoni fuerit consilium indicat (,um' ...): sequitur ut coni. perf. ferri non possit. Richter quidem haec adnotauit ,durch den Wechsel des Tempus wird von den wiederholten Handlungen ihr Resultat geschieden'. at ut Sullam certiorem fieri passus non sit, id profecto neque potest dici summus finis quo contendit omnium illorum maleficiorum (das endliche Resultat aller seiner Uebelthaten), neque qui consequatur ex eo quod malum ciuem Sex. Roscium fuisse — apud Sullam nimirum eiusque amicos — finxit et apud aduersarios occisum esse dixit perspicio. (Chrysogonus hat den Sex. Roscius als schlechten B rger dargestellt und davon war die Folge, dass er den Sulla von der nachtr glichen Proscription desselben, dem G tterraube und dem Verfahren gegen den Sohn nichts hat wissen lassen'.) noua sane sententia et digna quae iterum legatur. intellexit igitur Richter coni. pf. ,passus sit' ex grammaticae legibus nihil aliud posse significare atque quod consecutum sit: sed dum id ipsum artificiis adhibitis efficere studet, decipitur. neque fugit Ernestium coniunctuum perfecti ,nullo modo uerum esse': sed aliud latere ei uidebatur, quod sine librorum auxiliis erui non posset. mihi pater meus haec uerba in eo quo uti solebat exemplo tacite summo iure uidetur uncis saepisse. neque commode hic memoratur Chrysogonum non passum esse Sullam de ea re edoceri: nam id quidem ex eis quae Chrysogonus cum legatis egerat, apertissimum erat: hic autem ea tantum adferuntur, quae Chrysogonus clam commiserit, quae Cicero sua sententia, suspicione ductus atque argumentatione, ei tribuenda censeat (fecisse dico ... denique suspicor'). quod cum non perspicaret interpres aliquis, iniuria manifestissimum maleficium Chrysogoni praetermitti ratus, emblemate quasi splenio maculam obtegere conatus est. Sullae igitur culpam esse nullam dicit Cicero, aliorum aliam (§. 122), Chrysogoni eam ut ementitus sit, i. e. ut mendaciis Sullam, legatos, alios fefellerit. e quibus mendaciis aliquot quae ei praecipue uitio uertantur adferuntur.

§. 130 ,nemo est enim qui nesciat propter magnitudinem rerum multa multos partim imprudente L. Sulla commisise'. ,partim coniuite' suppleuit Cratander falso, recte ,partim inuito' Madvig, quem secuti sunt Halm et Richter: quanto elegantius Seidler (quem memorat pater meus), E. F. Eberhard, Jeep ,partim' in furtim mutauerunt! insequitur enim tantum imprudentia et §. 21 legitur ,haec omnia imprudente Sulla facta esse certo scio'. emendationem Kaiser recepit.

§. 135 in uu. ,quae uero efficiat et quae conetur' pater meus, motus ut uidetur conandi uerbo post efficiendi uerbum conlocato, suasit ut corrigeretur ,affectet'. quod si fit, pron. ,quae' num repeti potuerit dubito. quae uero Chrysogonus conatur, ea etiam grauiora sunt quam quae efficit (§. 141 m.).

§. 139 nostri isti nobiles, nisi uigilantes et boni et fortes et misericordes erunt, eis hominibus, in quibus haec erunt, ornamenta sua concedant necesse est. ut haec habeat quo referatur, rectius distinguetur, in quibus haec erunt ornamenta, sua concedant necesse est. similis est ratio Verr. IV, 127: Verres cum Sapphus statuam sustulisset, basin cum epigrammate reliquit: quod iste ... si unam litteram Graecam scisset, certe una (sic Herel: non libri) sustulisset: nunc enim, quod scriptum est inani in basi, declarat quid fuerit et id ablatum indicat. ne ,quid fuerit' careat praedicato, Kiehl u. ita conlocat: ,qu. scr. est, decl. quid f. in. in b.' sed longe facilius opinor haec sic iungentur ,quod scriptum est, inani in basi declarat quid fuerit', quo facto etiam u. ,inani' effertur. eadem uerborum conlocatio Rosc. Am. 22, tanta felicitate nemo potest esse, in magna familia qui neminem neque seruum neque libertum improbum habeat' ab Ernestio restituta est. Vocabula non (Verr. IV, 127) Seidler, ut pater meus Kahntii Animaduersionibus criticis in Verrinas orationes, quae Cizae a. 1837 editae sunt, ascripsit, in nomen mutabat, ,quod ... si' ni fallor iungens (wenn aber). quae suspicio etsi probari non potest, summo uiro tamen non indigna est. de ,nobilibus istis' cf. Verr. IV, 81 m. Pomp. 64. — §. 142 ,uituperetur' ex mente eorum dictum est qui se laedi putant: ut non oporteat reponere indicatiuum. pergit: ille improbissimus Chrysogoni fautor, qui sibi cum illo rationem communicatam putat, laeditur, cum ab hoc splendore causae separatur'. in his mire atque dubito an non a Cicerone ,cum illo rationem communicatam putat' repetitur ex §. 140 ,desinant suam causam cum Chrysogono communicare'. neque sunt haec uerba aduersariorum ipsorum, ut cauillandi causa iterata possis putare. loco autem extremo Richter acute coniecit abl. splendore in nominatiuum esse mutandum. sed ut pronomina, ille' et, hic' saepe in eodem enuntiato ad eundem hominem referuntur, ita non concedo in duobus membris, quae ita sunt comparata ut facile sibi respondere videantur (cum illo — ab hac, communicatam — separatur), id fieri potuisse quin euidentia magno opere imminueretur. quod uero grauius est, si in separandi uerbo seiungendi, seorsum ponendi significatio inest (bei Seite setzen), separari non dicitur is qui remanet, sed is qui excluditur. quibus de causis seruauit ablatiuum: ,ab hoc splendore causae separatur' sc. Chrysogonus; quem etsi minus ex structura grammatica tamen ex totius enuntiati ratione elucet dici. non aliter subiectum mutatur §. 96 extr. ,qua ratione factum est ut iste tuus cliens (sc. Mallius Glaucia), sceleris tui nuntius, T. Roscio Capitonii potissimum nuntiaret? occisus est a cena rediens (sc. Sex. Roscius)'.

§. 148 si pro patris huius hospitiis et gratia uellent omnes huius hospites a desse ..., satis copiose defenderetur. cum pr. huius incommodo iteretur, altero loco restituendum censeo dat. huic, qui pendeat a u. abesse. paulo post in his ,ita defenditur, non sane ut moleste ferre aduersarii debeant, neque ut se potentia superari putent', coni. putent significat ,glauben dürfen': infinitiuum autem putare Cicero fortasse ob uerba in easdem syllabus cadentia uitauit.

§. 150 sin ... crudelitas ... uestros quoque animos, id quod fieri profecto non potest, duriores acerbioresque reddidit, actum est. quod intericitur ,id quod fieri profecto non potest' prohibet ne ,reddit' uel ,reddidit' seruetur: corrigendum suspicor ,reddiderit' gemacht haben sollte'. cf. §. 10. p. 15.

§. 151 di prohibeant, iudices, ut hoc, quod maiores consilium publicum uocari uoluerunt, praesidium sectorum existimetur. prohibendi uerbo aptauisse coniunctionem ut nescio quem aetate decrepita Halm docuit: sed fuisse in bonis scriptoribus qui praeiret mihi quidem incredibile uidetur. in promptu quidem est ut mutare siue in uel siue in et (etiam): quorum hoc non licet Ciceroni tribuere, utrique officit u. praesidium: quod enim aliud consilium est sectorum praesidium? equidem uoculam illam ab homine neglegenti additam putauerim, qui cum offenderetur structura ,di prohibeant, ... existimetur', scilicet ne quid deesset, coniunctionem ut adiceret. id quod in Caesaris libris uidemus factum esse.

§. 154 futurum esse puto ut oratio magis scite concluderetur — nam aliquid uideri deesse plurimi intellexerunt nec tamem quid desit facile potest cogitari — si uu. ,hoc tempore domestica crudelitate laborare' statim haec exciperent: ,quae (sc. crudelitas) non modo id habet in se mali, quod tot ciuis atrocissime sustulit, uerum etiam hominibus lenissimis ademit misericordiam consuetudine incommodorum. nam cum omnibus horis aliquid atrociter fieri uidemus ... adsiduitate molestiarum sensum omnem humanitatis amittimus': ut illa orationi finem imponerent ,hanc (crudelitatem) tollite ex ciuitate, hanc pati nolite diutius in hac re publica uersari'. sed quia nemo non pr. ,hanc' referret ad u. ,humanitatis', uerborum sedem mutare non licet. Ciceroni ipsi igitur sententiarum ordo minus commodus est adsignandus.

Pauca fragmenta ex loco deperdito §. 132 seruauit qui dicitur Scholiasta Gronouianus. sed etiam haec imminuenda sunt. leguntur enim haec (436, 14 Or. *) *maxime metu ut Sullam scilicet*] deribat tamen. et ait se, id est, suspicionem suam in aliud deducit. ,metuit' corrigen-dum esse suspicatus est Schütz. sed praeterea uu. ,Sullam scilicet' interpreti reddantur locus que sic constituatur: *maxime metuit]* Sullam scilicet. deriuat crimen et expedit se. fortasse sufficit deriuat crimen a se. cf. 356, 23 id quod deriuat in aliam causam. — 436, 23 ,enumeret singula deliciarum genera, quod habeat plures possessiones (fortasse supplendum et) mancipia, quae omnia dicit de rapinis ipsum (sc. Chrysogonum) habere'. cum pronomen ipse ita usurpet interpres ut nihil differat a. pr. is, dubito an non oporteat restituere ,istum'. — 436, 19. 20 non magis expedio quam quae de authepsa traduntur 436, 25. 26: neque apud Isaacum Vossium, qui hunc locum ex commentario in ,Verrinas' orationes in notis ad Catull. p. 318 paucis rebus mutatis exhibet, quicquam auxillii est.

436, 27 lecticarii dicuntur qui maiores nobiles portant, ut in Verrinis legimus. qui sunt ,maiores' nobiles? mihi in eo uocabulo uidetur latere gestatorio sine octaphoro (non octophoro), ut respiciat Verr. V, 27. lecticas imponi solitas esse calonibus ex Seneca discimus: sed ne emendemus ,lecticarii dicuntur, qui calones. nobiles p., ut in V. l', de quo aliquando cogitaui, hoc obstat, quod deest pr. ,eadem' aut a. ,hodie'. — 436, 32 stolida est explicatio, non magis tamen stolida quam eae quibus Tuberonis — eum dico qui Ligarium accusauit — patrem fuisse C. Pansam docemur (415); cf. 432, 2. 434, 6 s. 436, 32. 417, 10. 31 (41). 430, 25.

436, 36 ad §. 137: ,non, inquit, idcirco putamus Sullanis partes contra Marianos arma tulisse, ut restitueretur omnibus libertas. sin autem id actum est hoc bello, ut liberti homines aliena occupent bona, non est hoc' bello data libertas'. ergo primum enuntiatum interrogantis est: ,non idcirco putamus ... arma tulisse, ut restitueretur ... libertas?' cf. 416, 27. 426, 3.

437, 6 ante stellulas maiore interpunctione distinguendum: nam e scholio ipso nihil deest. in his enim ,qui uult uituperare partem Sullanam, dicit, quia Chrysogonus multum potest', u. quia, ut sexcenties, nihil est nisi ,quod' ,dass', i. e. dicit Chrysogonus multum posse.

437, 7 ad 152. † Dicit ut hoc iudicio ut omnium proscriptorum interimantur filii. ex Cicerone ipso emenda agi.

425, 25 ,et tuetur reum, ut intellegi facile sit accusatore supposito periclitantem': cum part. aptum sit ab intellegendi uerbo, non est quod immutemus (periclitari eum). iam quae sequuntur ita iungenda censeo ,multum itaque circa Erucium terrorem calumniae mouens (sc. actio) urbanissimis salibus insignis actio, lubrica (i. e. periculosa: hoc uocabulum suppleui) libertate patrono'.

425, 8 genus causae admirabile. nata primo admirabilitas ex aduerso tempore, ex potentia Sullana, ex magnitudine parricidii. u. ,primo' sensu caret: nec tamen

*) cum hoc tempore caream Büchneri editione, quae ille emendauerit indicare non possum. itaque si forte aliqua in re idem protulerim, peto ut mihi erroris uenia detur.

quod in promptu est ,in primis' reposuerim, sed his locis conlatis 415, 28. 443, 30. 204, 9. explicandi particulam uelut ,nimirum'. lateat autem nihil aliud atque enim.

425, 14 ad §. 1 *mirari ...]* dum uult eos timoris excusare, quod sciat eos timuisse, se damnauit audacia: uidetur et audaciae scribendum, quod u. timoris respondeat, et post sciat supplendum Sullam. nam uel coniunctiuus ,sciat' ostendere uidetur, causam additam fuisse cur timerent.

426, 1 ad §. 4 *quod a ceteris forsitan]* ... si quis uero frater petierit quia propter potentiam sui Sulla satis timebatur, tamen omnimodo frater est, cui praestandum est (officium). offendit quia, offendit ipf. timebatur, cum proxima sint tempora petierit et est. itaque scribendum censeo ,quamuis ... timeatur'. quia natum est ex quis, l. q eo compendio instructa quo significatur u. quam. præterea non potest ferri sui, cuius loco requiras certe ,ipsius'. uidetur autem ex tribus litteris nominis quod insequitur Sullae natum esse. idem uitium tollemus 432, 9. pergit interpres ,possumus hic dicere: in potestate habemus utrum uelimus an nolimus'. ,non' ante u. ,possum' addebat Schütz: tu interrogandi signo post ,nolimus' distingue ,possumus hic dicere ... nolimus?'

426, 15 ad §. 6 *quae res ea est]* hic non narratio incipit, sed est quaedam excusatio. scribendum erit excursatio.

426, 32 ad §. 8 *quod si aut causa criminis]* iudicium bonae causae esse uoluit; quod sponsionem quandam apud iudices facere ausus est, ut uel tenui argumento conuictus damnationem criminis non excuset. ,quod' non est mutandum in quare, sed ita expli-candum ,id ex eo adparet, quod ...'. pro excuset autem restitutum oportuit recuset. — 427, 2 illa ita scribenda erant ,commode autem dicere'. — 427, 7 ad §. 10 *hoc onus]* permansit in trans-latione propter Sullanum tempus. Et quod subaudimus † *perferam me onere malo*. melius est ut opprimat me inuidia Sullani temporis quam taceam. scribendum duco ad *quoad* subaudimus preferre ex perferam. *opprimi me onere malo* melius est...

427, 17 *cum interea caedes indignissimae]* ergo nulla fuerunt peccata? J. F. Gronouius cum perspiceret haec absurdia esse, post u. peccata suppleuit impunita: tu restitue ergo inulta fuerunt peccata.

427, 21 ad §. 11 † *dimisso]* id est præ contempto, relicto habitorum. interpres opinatur Roscium ideo e sanguine dimissum (i. e. ei parsum) esse, quod ignotus atque contemptus fuerit. fortasse igitur scripserat ,pro contempto, relicto habitum iri'.

427, 32 ad *eum tanistam]* describit, quia gladiatorum nomina dixit: fortasse scr. ideo scribit. cf. 428 4.

427, 35 ad §. 18 *nam cum hic Sex. Roscius]* præparatio a loco uel argumentum et facultatem non potuisse. emendandum esse ad argumentum uidit Schütz. cetera autem sic constituas ei facultatem non fuisse. — 428, 2 *cum hic]* ... accusatio illorum ad defensionem istius pertinebat. pro u. istius (i. e. Sex. Roscius) nescio an reponendum sit ipsius. non enim obstare quod nomen Rosci non est additum, docet uel id quod 428, 7 ad §. 19 ascriptum est ,*primus Amerium*] ipsum uult uideri immissum, qui occideret Roscium' (scr. missum: ultima enim uocabulo proximi littera repetita uitium peperit). pr. istius autem in clientis, de quo aliquando cogitaueram, mutari nequit, quia pr. illorum antecessit.

428, 11 ad §. 19 *clens]* hoc mire, ut ab inimicis(eius) ad caudem subornatus sit, quibus sine dubio debebat obsequium. in miro uocabulo mire non uidetur inesse uerbum uelut ,confirmat', sed nil nisi nimirum. eadem structura paulo ante 428, 4 interpres dixit ,hoc ideo, quia...'

428, 14 ad §. 20 Volaterrana ciuitas dicitur (wird gemeint), quae præcisissim undique lateribus ad omnes motus alto se monte suspendit. u. motus' emendandum uidetur aditus. — Quae leguntur 428, 18 ** patitur a seruo ex eo, qui facit, id est Chrysogonus

sine dubio referenda sunt ad §. 34: ea autem quae sequuntur docent hanc fere fuisse orationis formam: , (non ex eo, qui) patitur ... , sed ex eo qui facit: ergo ut uu. , id est Chrysogonus' habeant quae respondeant, in litteris , a seruo^t latere censeo , i. e. scuola^t, quem ad modum est apud Ciceronem , illud, quia in Scae uola factum est, indignum uidetur, hoc, quia fit a Chrysogono, num magis est ferendum? 428, 19 distinctio inter uu. indignitas et non est tollenda.

429, 9 ad §. 41 *in unico filio*] eleganter hoc intulit, quod naturale sit, ut unicis liberis quamuis potentibus promptius indulgeamus. scribendum (aut ,quamuis peccantibus^t aut) quamuis insolentibus. 429, 12 neque odii causam patri neque sceleris fuisse. ante fuisse ex Cicerone adde filio.

429, 15 ad §. 43 *quid ait Eruci?*] qualitatem praediorum eam fuisse declarat, quae non magis poenae quam uoluptati esset, quia dicebat pro poena duos. pro duos scribendum erit Erucius: excidit autem — saepe enim in fine haec scholia sunt mutila — fortasse rus missum sive ruri datum (429, 27 s.). num forte ex conuiuii legibus quae librarii amentiae obuersabantur uitium illud natum? in scholiis quidem Lucianeis talia cuppedia indagari licet. imperfecto dicebat sic uti solet interpres. — 429, 29 ,quid sit amor^t non est quod corrigatur ,qui^t: cf. 427, 4 ,quantum sit timor^t. paulo ante, l. 26 ,quia^t est Graecorum τι, nostratum ,was^t, i. q. quare. 430, 1 ad §. 46: haec ita distinguenda: ,quid ad istas nugas abis?^t inquit — coepit dicere aduersarius — ,quam diu me^t inquit ,ad fabulas uocas?^t dicit Tullius ,ego quidem habeo multorum exempla, quae proferam, uel amicorum uel uicinorum (haec uocabula inserui), sed forsitan isti se nominari nolunt^t. de uu. ,isti^t autem et ,nolunt^t non est quod dubites.

430, 14 ad §. 48 *sed permullos ego noui*] non modo parentes filios suos uolunt studio agendi detineri: in tantum putant uitam rusticam optimam, ut et ipsi studio agendi operam dent. pro u. agendi utroque loco restitue u. arandi. 430, 19 uerba fortasse ita iungenda sunt ,ars quidem dissimilis est, sed tamen ars. est in sua quisque arte melior illo^t. 18 ,antiquarius^t exempli tantum loco est (cf. 436, 20).

430, 37 ad §. 50 apud antiquos ante dabant ruri aliquos. sic militia: fortasse scr. dabant ruri adulescentes: secuta militia. cf. 429, 27 s.

431, 15 ad §. 52 bene dicit *patiebatur*, quasi magis uolenti obtemperauerit pater, quum ipse eum noluerit esse. ,magis^t ostendit scribendum esse quam uoluerit: post quae uerba uidetur omissum ruri: ut haec interpretis ipsius fuerint, quam ipse eum uoluerit ruri esse^t.

431, 24 ad §. 55: modo uult ostendere orator, quia accepit pecuniam Erucius (i. e. quod ..., s. Erucium ... accepisse), ut accusaret Roscium. nam ostendit cum eo inimicitias fuisse; socia ergo res est, ut hoc quadruplatione fecerit. at non fuerunt inimicitiae Erucio cum Sex. Roscio; deest datiuus; quid sit ,socia res^t mihi saltem non liquet. itaque scripserim cum eo inimicitias non esse Erucio; ergo restat ut ... fecerit. nullas esse^t est apud Ciceronem.

431, 8 ad §. 59 *ut uestro concessu pro summa*] hoc uel ad notionem iudicum dixit, quos dicit ita contemptui ductos habere Erucio, ut etiam hoc potuerit cogitare. ,haberi^t scripsit Orellius: sed quid fiat part. ductos? mihi emendandum uidetur ductos ab Erucio: syllabae enim ere natae sunt ex primis u. Erucio litteris, id quod uidimus 426, 1 in uerbis sui Sulla factum esse. — 432, 17 ad §. 68 mane pater occisus est: fortasse scr. ,occisus inuentus est^t (22). — 433, 32 ad §. 88 *restat ...*] ibi accusauit: modo comparat et dicit, quia (i. e. quod) magis Roscius Capito potuerit occidere quam filius. ,ibi accusauit^t nisi forte significare putas i. q. hucusque, ita mutandum uidetur: istuc accusauit. cf. 427, 25.

434, 1 ad §. 90 *ferro Frugio*] in Ennio haec fabula inducitur Achillis, quo tempore propter Briseidam cum Graecis pugnare noluit; quo etiam tempore Hector

classem eorum incendit. in hac pugna Ulixes uulneratus inducitur et fugiens Achillem (ad Ach.' Graeuius) uenit. cum interrogaretur ab Aiace, cur fugisset, ille ut celaret dedecus uitium ,quis enim uulneratus ferro frugio'. ,ad Aiacem uenit iam Orelli suspicatus est scribendum esse: nam Achilli in hac fabula non est locus. ita igitur scholium restituendum censeo ,in E. h. f. inducitur: Achilles quo t. . . (cf. 435, 11) . . . noluit, quo e. t. . . ,in hac p. U. u. i. et fugiens ad uallum uenit'. u. uitium autem corrigendum duco subicit i. e. ὑπολαμβάνει.

434, 25 ad §. 98 post uu. ,posteaquam . . . occisus est Roscius [.] haec fere excidisse puto ,in curru conlocatur Glauca'. item censeo in scholio extremo 434, 32 (ad §. 102) ,si Africanus, potentissimus uir, aliquid ageret, in iudicio non diceret' uocabulum adiciendum esse ,testimonium'. u. potentissimus autem cum ita intellegi possit ,tam potens erat ut uel hoc posset conari', non est corrigendum ,praestantissimus' s. ,honestissimus'.

435, 20 ad §. 117 *in eius modi uita . . .*] ostendit uitam turpissimam Capitonis, modo quia et apud quem praemium inuenitur et apud quem perfidia et cetera maleficia, ipsum potuisse occidere Roscium. scribendum uita turpissima C. modo, quia... ,quia' autem est i. q. quippe.

435, 32 ad §. 123 . . . *quaeri . . .*] qui uult uerum quaeri, necesse est ut illos seruos ad quaestionem postulet, qui dicuntur adfuisse, cum caedes facta sit (fort. est). qui autem non uult ex his quaeri, necesse est ut ipse hoc faciat: ,fecerit' opinor, ,facinus commiserit': sed scribendum erit hoc sciat.

Quae idem scholiasta in orationem pro Ligario commentatus est plena sunt errorum grauissimorum: e quibus tamen uno interpretem ipsum liberabimus. 415, 12 enim legebatur in hunc modum: occisus postea Pompeius. perseverauit in armis sola Africa. ibi periclitatus usque ad extreum Caesar. unde oderat eos uel maxime, qui in Africam fuerant, quia iam non pro Caesare pugnabat, sed pertinacia. unde inexorabilis uel maxime fuerat his, qui in Africa contra Caesarem suscepserant. uictus est in Africa postea Juba rex: occisus est Petreius, occisus Cato, occisus Scipio, occisis patribus in Africa. eleganter quidem poterat scribi ,in Africam fugerant' sine ,iuerant': sed accusatio substituendum esse nil nisi ablatuum Africa docent quae sequuntur. neque id impedire plpf. fuerat, documento iam sunt haec ,inexorabilis uel maxime fuerat'. sed grauus residet mendum in his ,non pro Caesare pugnabat': nam ad sensum requiri ,pro Pompeio pugnabant' Graeuius et Schütz intellecerunt. quid multa? restitue pro causa repugnabant; praestaret quidem uerbum simplex ,pugnabant'. sed etiam alterum Caesaris nomen (Caesarem) cum propter subiectum repetitum tum quia suscipiendi uerbum obiecto caret suspectum est. sed dubito an non huic quoque uolneri eadem medicina adhibenda sit ut causam reponatur. utique autem in u. Caesarem latet arma. itaque aut scribendum ,contra Caesarem arma' aut, quod malim, ,contra ipsum arma sustulerunt; cf. 416, 23. 38. 416, 25 autem ,arma' neque oportet inseri, cum facile ex l. 23 cogitatione suppleatur, neque ueri simile est excidisse; nam tum interpres ipse praetermisserit l. 26. e uerbis denique ,occisis patribus' Graeuius eliciebat ,occisus Labienus'; propius a litteris abesset ,occisus Afranius': sed cum ter antecesserit u. occisus, quartum in ,occisis' mutatum esse non est ueri simile. scribendum igitur occisi L e patribus.

416, 14 ad §. 3 *quod (bellum) qui erant in Africa antea audierunt geri quam parari*] ergo iam non poterant. nescio an pro iam scr. sit abire.

416, 25 ergo si hi, qui uoluntate sumpserunt arma, absoluti sunt, ille, qui necessitate oppressus est, damnari debet. non est e Schützii suspicione adicienda nox negans (non debet), sed interrogationis signo distinguendum; ille . . . debet? qua ratione aliquot horum commentariorum loci sunt sanandi. cf. 426, 2.

416, 31 ad §. 7 *ut essem idem qui fuisse*] iussit enim illum etiam imperatorio iure tenere Italiam, dictorio iure, ,dictatorum ius' non est idem atque ,imperatorium': dictum igitur oportuit ,dictorio ipse instructus'. fortasse autem sufficiat uerbum postremum iure mutare in ipse: a qua structura sermonem illius aeu non abhorruisse putauerim.

417, 19 ad §. 15 .. *obtines*] qua tum dedit clementiam soli ipsi. corrige quia. deinde datum soli ipsi, quam Graeuius mutabat in nom. ,solus ipse', interpreti non eripiendum duco; nam quae existit sententia, ,Caesarem uni Tuberoni, non item aliis, ignouisse, ne omnino uideretur commoueri aliorum suasione', ea falsa quidem est, nec tamen talis qualem interpreti adsignare non liceat. neque in his 418, 3 ,prouinciam natam semper contra imperium populi Romani' quin ex magistelli ipsius mente profectum sit semper dubito: reponere autem ferme esset scriptorem emendare, non librarium. nam ,semper' rettulit ille ad inimicitiae notionem, quae in praep. ,contra' inest. uersus 5 autem ita distingendus: ,... refert: nam si ... Varus'.

417, 29 ad §. 18 hoc scelus partem Pompei fuisse contendit. u. scelus, quippe quo Cicero ipse usus sit, litteris inclinati describendum est.

418, 1 ad §. 22 *una est profectus*] quia ad diuersas prouincias miserant obtinentadas: scr. missi erant. — 418, 7 ad §. 23 *uide..*] si uolebas prodere Pompeium, merito pulsus es, nescio an scribendum sit ,uolebat .. est' sc. Tubero: uerbo enim ,uide' adloquitur Caesarem: cuius liberalitate factum esse ut haec ,si u. p. P., merito pulsus est (sc. Africa a Varo et Ligario)' impune dicere licet.

In scholiis Ambrosianis ad eiusdem orationis §. 12 p. 371, 31 ... *dictatorem*] Syllam significat, qui tantae crudelitatis fuit, ut in Marianae partis uiros accusatores commoueret, ad delationem primus inuitaret: restituo ,praemiis inuitaret'.

372, 3 ad §. 21 *Tuberonis sors*] ... plurima in urnam coniecta sunt nomina, quae inter Tuberonis etiam fuit, cuique proficisci in Africam sorte euenit (uenit cod.): pro u. cuique scribendum aut illique aut cui quidem.

372, 10 ad §. 37 ... *gloriæ lindem* ...) acceptam scilicet populo uel amabilem. te plausibilem omnibus quam maxime diligentibus plebem. fortasse scr. ,a. sc. p.: reddes amabilem te et plausibilem, omnibus q. m. diligentibus clementiam'.

In Bobiensibus ad orationem pro Archia commentariis 354, 6 in causae constitutione haec leguntur: fit ergo quasi conjecturalis, an ascriptus sit in ordinem Heracliensium: in locum uerbi quasi substitue u. quaestio.

355, 16 ad §. 5 m. praestiterat C. Marius eas res, quae satis uberem materiam scribentibus darent; Catulus autem et rebus gerendis floruerat et habilis auditur: auditor erat' A. Mai scripsit, eo ni fallor deceptus, quod Cicero Catulum iudicium atque auris adhibere potuisse dicit: corrigendum autem et habilis auctor fuerat.

358, 4 Ennii sepulchrum fuisse traditum extra portam Capenam: cum est absit, scribendum uidetur traditur.

358, 25 ad c. 10, 26. . . . *pingue sonantibus*] de uersiculis nec egregio cultu, nec amoena uarietate, nec eminentibus figuris carmen instructum. ,de uersiculis' non potest coniungi cum u. ,instructum (von Seiten —), quia quae sequuntur cultus uarietas figurae non uersuum solorum sunt. itaque post uu. ,de uersiculis' puncto distinguendum erit. dicit enim pingue illud sonare de uersibus esse intellegendum.

Ex eius qui se Asconium haberi uolt prooemii paucula quaedam excerpam. 125, 5 ,tam repente adveniens' scr. ita; 126, 4 ante omnem uidetur excidisse enim (cf. discrepantiam scripturæ); 126, 9 ,ipse etiam Verres' scripserim ,ipse autem V.'; 154, 6 uim huius artis et eloquentiae' scr. eloquentiam sc. suam.

Quibus subiciam Cincii locum a Gellio XVI, 4, 5 p. 152 H. seruatum, qui facit ad inter-

pretandam Verr. V, 33 (ubi Halmii adnotationem consulas): miles cum die, qui predictus est (erat?), aberat neque excusatus erat, infrequens dabatur. emenda notabatur ex Placido s. v. infrequens: „dictum a militum ignominia, qui cum uocati non adfuissent, infrequentes notabantur.“

Sed hic locus nos admonet, ut animum ex aeui decrepiti nugis quantum licet grammatico relaxemus, redeundum esse ad Ciceronis Verrinas: e quibus paucos quosdam locos ut fidem soluamus tractasse satis habebimus.

Verr. IV, 10 extr. si quid uenale habuit Heius, si id, quanti aestimabat, tanti uendidit, desino quaerere cur emeris. restitue iurene emeris.

IV, 28 hic tibi in mentem non uenit iubere, ut haec quoque referret HS VI milibus D se tibi uendidisse? uerba ut haec emenda: Attalica: cf. §. 27.

IV, 29 dixit Phylarchus... se... cupisse te celare de phaleris; cum abs te appellatus esset, negasse habere sese; apud alium quoque eas habuisse depositas, ne qua inuenirentur: istius tantam fuisse sagacitatem, ut eas per illum ipsum insiperet, ubi erant depositae. scribendum penes illum i. e. in eius domo; cf. 67; or. Milon. 60 extr.; Caes. b. c. 1, 76, 4, ,edicunt, penes quem quisque sit Caesaris miles, ut producatur; 87, 1. In media paragrapho c. ,etenim' causam adfert cur iure censeat Cicero Siculos dixisse Verrem illas phaleras tam (eben so gut) abstulisse, non emisse, quam antea alias: ita ut ante u. etenim mente suppleri possit ,idque recte'. (de simili usu uide disputantem Madvigum ad l. de fin. p. 9.)

IV, 42, 91 dedit igitur tibi nunc fortuna Siculorum C. Marcellum iudicem, ut cuius ad statuam Siculi te praetore adligabantur, eius religione te isti deuinatum astrictumque dedamus. neque pronominibus ,cuius' et ,eius' homines diuersi significantur neque possunt uu. ,deuinctum astrictumque' carere ablativo (cf. 113). quare non probo quae Bake et Jeep ser. coniecerunt ,religioni te ipsi (s. fideique) dedamus' ex parteque recepit Kaiser, ,religioni te ipsi d. a. dedant' reponens. quos secutus ego aliquando tentaveram ,religioni te sententiaeque'. iam uero satis uisum est isti mutare in huic i. e. Marcello; ,religio eius' autem est ,eine schwere Verschuldung gegen ihn'.

